CATALOGI
LIBRORUM
MANUSCRIPTORUM
ANGLIÆ
ET
HIBERNIÆ
IN UNUM COLLECTI,
CUM
INDICE ALPHABETICO.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO,
An. Dom. MDCXCVII.

fZ6620
G7B4
v.1

Imprimatur,

FITZ-HERB. ADAMS

VICE-CANC. OXON.

13. *Aprilis* 1697.

DE RATIONE & UTILITATE HUJUS CATALOGI, EPISTOLA.

ACCEPI tuam Epiſtolam, ſtudii in literas, & erga me pleniſſimam. Quod per eam ſignificas, Catalogum Codicum Manuſcriptorum ad exitum pene perduci; rem narras longe gratiſſimam: Semper enim exiſtimavi, hujuſmodi præcipue Inſtituto Eruditionem in omni genere & augendam fore & perficiendam. Quod vero adjicis, Cl. Bernardum *iniqua conflictari valetudine, illud ita fero, ut laturi ſunt omnes qui intelligunt quantum ille ſit cum Reipublicæ Literariæ, tum noſtræ Academiæ Ornamentum. Utinam, poſt perpetuos labores vigiliaſque, tantum virium illi ſupereſſet, ut Operis in publicum prodeuntis dignitatem poſſet & utilitatem explicare. Id ſane opto boni publici cauſa; eo autem vehementius, quia hujus deſcribendi & commendandi, mihi imponis negotium. Quod tamen obeo libentius; partim quia autoritati tuæ in omnibus teneor parere, partim quia facilis futura eſt Libri commendatio, quem omnes Eruditi avidiſſime expectant. Primum igitur de ratione Operis perficiendi, deinde de perfecti utilitate, quæ ſcio, quæque ſentio, paucis accipe.*

Hujus Incœpti originem niſi repetam à cognita Oxonienſium diligentia in Literis promovendis, ero plane Veritati iniquus. Memini enim abhinc circiter quinquennium, quam crebro Viri quidam doctiſſimi tam Academiæ, quam orbis eruditi ornamenta, incidere ſolebant in ſermones hujuſmodi: “Nihil fore vel Academiæ glorioſius, vel gratius eruditis, quam ſi (edito Catalogo) Manuſcripti Oxonienſes omnium oculis exponerentur. De horum altero judicari poſſe, ex admiratione qua perculſi ſunt peregrini, publicam Bibliothecam intuentes; ([a] Catalogo enim Jameſiano præoccupati, de Theſauro Bodleiano anguſtius cogitarant.) De altero, ex incredibili pretio quod inter Literatos habuere Catalogi Codicum Manuſcriptorum quos Clariſſimi Viri Joannes Millius, Henricus Maurice, *aliique, in uſus privatos collegerunt: teſtes profecto eorum ingenii, diligentiæ, & eruditionis; ſed cum hoc noſtro, vel excellentia, vel varietate, vel numero denique Librorum, neutiquam comparandi. Magnam laudem ad Oxonienſes perveniſſe, ex publicato* Impreſſorum *Codicum Catalogo; eo vero majorem allaturum fore Indicem* Manuſcriptorum; *quo hi illis rariores ſunt, magiſque ab omnibus expetiti. Deberi hoc memoriæ* Bodleii, Herberti, Laudi, *& aliorum; qui cum ſua munificentia tantum decus Oxonienſibus attulerunt, ſunt à nobis viciſſim omnibus honoribus adornandi: Deberi noſtræ ætati, in Manuſcriptis indagandis ſupra modum curioſæ: Deberi denique Britanniæ, ſuarum Antiquitatum (quibus abundat Bibliotheca Bod-*

---

[a] Morhoſii Polyhiſt. pag. 66.

“ *leiana) ſupra alias gentes ſtudioſæ. Miſerum eſſe, tot Majorum monumen-*
“ *ta in pulvere ac tenebris delitefcere : eſſe adhuc miſerius, Scriptores omnis*
“ *generis, mutilos ac depravatos prodire ; ſubſidio Codicum Manuſcriptorum*
“ *nativæ puritati reſtituendos.*”

Hæc ad Vice-Cancellarium Doctorem Edwards *Coll. Jeſu Præfectum delata, adeoque rei Typographicæ Curatoribus propoſita, Viris ad Literarum commoda & honorem Academiæ excitatis, admodum placuere. De Editione deliberantibus ſtatim occurrit Cl.* Bernardus ; *cui, propter infinitam Librorum notitiam & magnam domi foriſque autoritatem, totius rei adminiſtratio crederetur. Ille vero, (etſi ſenectutis inſtantis & corporis infirmi excuſationem habere potuiſſet) pro ingenii bonitate onus hoc litterarum gratia libentiſſime ſuſcepit.*

Hactenus, ſi recte memini, de Catalogis ſolum Oxonienſibus (*hoc eſt, Bibliothecæ Bodleianæ & privati cujuſque Collegii*) *deliberatum eſt. Quibus uno Volumine comprehenſis, præclarum Opus edidiſſet Academia ; nec quidquam reliquiſſet quod ulterius poſtularet communis Literarum cauſa. Pervulga-*
“ *ta autem Inſtituti fama, optare cœperunt plurimi, ut adjicerentur Catalogi*
“ *Codicum Manuſcriptorum in Eccleſiis Cathedralibus ; ægre ferre, nullam*
“ *haberi eorum rationem, quibus privatæ Bibliothecæ adornantur ; inſtare de-*
“ *nique, ut in* Univerſum Catalogum *ampliaretur ; quo ſtudioſi in omni mate-*
“ *ria primo viderent intuitu, quæcunque auxilia ſuppeditaret Britannia. Ita ſuggerebant magnæ eminentiæ & ingenii homines : præ reliquis, Reverendiſſimus in Chriſto Pater,* Thomas *Archiepiſcopus Cantuarienſis (tunc vero Lincolnienſis Epiſcopus) ita hoc propoſitum collaudavit, ut omnia ſolet quæ ad utilitatem Eccleſiæ & commoda Literarum pertineant,*

Quorum plurimorum cohortationibus incitata Academia, omnes Catalogos, ſive publicos ſive privatos, neque ex Anglia tantum, ſed etiam e Scotia aut Hibernia contrahere ſtatuit. Idque conſilium publice ſignificavit ; promulgata à Cl. Bernardo *in eam ſententiam* Declaratione. *Qua toties in* Mercuriis Londinenſibus *iterata, ſi qui forte Catalogos tardius tranſmiſerint, culpanda non eſt Academia : Ea quippe longius multo quam conſtituerat, Libri editionem protraxit ; ut Opus abſolutius efficeret, adeoque Eruditos pleniori obſequio demereretur. Speramus interim paucos admodum deſiderari ; omnium Ordinum hominibus huic Inſtituto tam mira propenſitate faventibus. Quorum præcipuos* (*honoris cauſa*) *nominarem ; niſi Catalogi, & in Monumentis colligendis diligentiam, & in communicandis humanitatem, uberius demonſtrarent.* [a] *Ante omnes vero commemorandus eſt D.* Joannes Cotton, *Baronettus, inſtructiſſimæ Bibliothecæ poſſeſſor, qui exemplo hujus incœpti ductus Catalogum à doctiſſimo Viro* Thoma Smith *S. T. P. recognitum, auctum & elimatum e prælo nuper* Oxonienſi *ſeparato Volumine edidit. Bonis certe literis ex hoc hominum meritis genereque clarorum patrocinio decus & autoritatem habituris gratulandum eſt. In noſtra enim ætate, inuſitatum quendam ad ſtudia impetum videmus : cumque omnes diſciplinas foveant Britanni, tum ultimo decennio cogitationes acrius converterunt ad Hiſtorias & Antiquitates Anglicanas. Neque ſane immerito : ſiquidem (niſi, errore hæreditario, rebus exteris immoderatius indulgeremus) non alibi invenimus ampliora Prudentiæ & Fortitudinis Exempla.*

In imprimendo Catalogo ſumma, quæ potuit, cura adhibita eſt ; & ſiqui errores forte ſubrepſerint, non e cujuſquam negligentia, ſed ex ipſius operis natura orti ſunt. In tanta enim Autorum, Rerum, Locorum, & ſcriptionis etiam

---

[a] Præf. ad Catal.

varietate, labimur neceſſitate quadam ; minus tamen pernicioſe in Catalogis, quia errores ex ipſis Libris facillime tum deprehenduntur, tum corriguntur. Eſt vero genus hominum non minus injuſte, quam ſevere Criticum, qui leviſſimo quoque lapſu offenduntur, neque quicquam exiſtimant luce publica donandum, niſi omnibus labeculis expurgatum. Qui magnifice quidem, ſed non humane loquuntur. Natura enim nihil magnum effici voluit cito : *utque homines non niſi gradatim, primo per infantiam ac pueritiam, deinde adoleſcentiam, ad integram denique ætatem perveniunt ; ita quicquid humanum eſt, paulatim creſcit , & certis quaſi gradibus maturitatem aſſequitur. Nullam præcipue Eruditionis partem vel una ætate vel unius laboribus perfectam invenimus ; quæque hodie accuratiſſima ſunt literarum ſubſidia, ea fere ex modicis principiis effluxere. Ante annos fere centum Cl.* Jameſius *edidit Manuſcriptorum Catalogum : opus profecto (ut unius hominis) magnum ; ſi cum noſtro comparaveris, exile & minus accuratum. Hoc tamen, quanto cum detrimento caruiſſet Reſp. Literaria, nemo ignorat niſi qui ſcriptoribus ultimæ ætatis prorſus fuerit alienus. Quot etiam novimus Eruditos, gloriam Operis perfecti proſequentes, longam ætatem conſumpſiſſe in materia colligenda ; quorum obſervationes tamdiu ſuppreſſæ, Autorum morte perierunt ; tempeſtive editæ, aliorum laboribus ſubvenire potuiſſent. Adeo, in rebus hujuſmodi, tarditas non minus quam feſtinatio Literis inimica eſt. Quorſum igitur illa? Ut intelligatur,* Oxonienſes *in hoc negotio modum prudenter tenuiſſe ; neque præcipitata editione, neque longius protracta. Quæcunque igitur accurata ſunt, illis præſens fruatur ætas ; ſiquæ forte mutila aut minus recta, perficiat & emendet Poſteritas.*

Opus amplis Indicibus *augetur ; qui Literatis magnopere profuturi ſunt. Hos vero debemus diligentiæ & judicio* Humfredi Wanley, *juvenis non ſolum ſtudioſi, ſed ad promovendos Studioſorum Conatus ſemper parati. Quam illius indolem, cum ex omni vita, tum ex hoc beneficio intelligimus : etſi non deſint qui* Indices (*tanquam inertiæ incitamenta*) *penitus rejiciendos arbitrantur. Judicium, mea quidem opinione, ut alias Literis incommodum ; ita in rebus Hiſtoricis plane pernicioſum. Qui vero in ea ſunt ſententia, ignaviæ (quam in aliis damnant) ſeſe accuſare videntur ; niſi forte ſuis laboribus ita immoderate faveant, ut integros memoriæ committendos exiſtiment.*

Vita Thomæ Bodleii *Catalogo præmiſſa, ex ipſius Chartis & Epiſtolis fere colligitur : hanc vero occaſionem gratitudinis demonſtrandæ non honeſte potuit prætermittere Academia.* Bibliothecæ Bodleianæ Hiſtoria *eodem animo conſcripta eſt ; ut quorum benivolentia ad hanc amplitudinem pervenit, eorum nomina ac memoriam ſumma veneratione proſequamur.*

De Libri ratione hoc unum ſupereſt monendum : Aliquot Collegia Academiæ Cantabrigienſis ſuos Catalogos miſiſſe Oxonium, *ut una cum noſtris publicarentur : Opus hoc reliquis ſuppleri ex Ecloga Jameſiana. Liber enim ille in paucorum manibus eſt ; utilis tamen Eruditis futurus, donec Cantabrigienſes, ſtabilita Typographia, Volumen integrum Catalogorum ediderint.*

Hactenus de Ratione Operis ; nunc ad illius Utilitatem *veniamus. Ea vero terminos habet eoſdem, quos ipſa Scientia ; cum nulla ſit pars literarum, quin ex hoc Theſauro lucem & incrementum accipiat. Aliter fortaſſe ſentient delicati illi ; qui deſultorio genere ſtudiorum contenti, ſuæ tantum voluptati conſulunt. De quorum judicio non admodum erimus ſoliciti ; cum non ſint hujus ſolummodo Inſtituti, ſed ipſius Literaturæ hoſtes. Hi ſunt, qui lapſu in cujuſquam ſcriptis deprehenſo, mire ſibi gratulari ſolent ; inaniter gloriantes, ſe tantillum ſuæ perſpicaciæ edidiſſe ſpecimen. Qui etiam ad ſtatuendum de Literis omnium minime apti, ſunt tamen in notandis erroribus inepte diligentes.*

Adeo, naturæ ſemper malignitatem, ſuam ſæpenumero inſcitiam produnt; quodque Comicus ait Poeta, faciunt intelligendo ut nihil intelligant. *Cæteri, Veritatis ſtudioſi & rerum originibus intenti, hinc plurima mutuabuntur auxilia; gratiſque animis agnoſcent mutuata. Si qui vero ſuſceptum aliquod Opus prelo deſtinarint; hi omnium optime percipient Catalogorum utilitatem: nec enim quicquam ſuavius cogitari poteſt, quam ſi certam materiam tractans, in nova inciderit ſuo inſtituto opportuna. Quo plures etiam perluſtraveris Chartas, quæ nonnihil auxilii ſuppeditare videantur; eo major eſt in ſcribendo jucunditas atque fiducia: id niſi factum ſit, perpetua hæſitatione diſtrahimur, ac conſcia quædam timiditas vim frangit & orationis & argumenti. Ex quibus colligitur, magnam illis gratiam deberi, qui Scriptoribus patefaciunt quicquid in Archivis Bibliothecarum reconditur.*

Quemadmodum autem Catalogi Scriptoribus jucunditatem; ita ſcriptis ipſis (in argumento præſertim Hiſtorico) perfectionem adferunt: ſi modo ea dicimus perfecta, quibus nihil unquam adjici poteſt. Certe, ſi Libros recenſeremus intra annos centum ſcriptos (de rebus noſtris præcipue,) plurimi invenirentur, mutili ac jejuni; multo accuratiores plenioreſque futuri, ſi opus hujuſmodi ultimo ſeculo prodiiſſet. Henricus Spelmannus Concilia Britannica *edidit; Gulielmus Dugdalius,* Monaſticon Anglicanum; *Opera ſi quæ alia præclara & elaborata: quanta tamen novarum rerum varietate ex hoc penu literario augenda! Opera nomino, gentis Anglicanæ ornamenta; Auctores, in rebus Anglicanis verſatiſſimos: quos mirum eſt, hujuſmodi auxilio deſtitutos, tanta in utroque genere præſtare potuiſſe: Cum ſcilicet Codices Manuſcripti (utriuſque Inſtituti unica fere ſubſidia) partim in Archivis Bibliothecarum, partim in privatorum manibus incogniti jacuerunt. Quid igitur facimus, illis denegata felicitate potiti, quin ex hoc Theſauro præclara eorum Incœpta augeamus?*

Neque ſolum in Recentiorum *ſcriptis augendis, magnopere profuturi ſunt Manuſcriptorum Catalogi, ſed etiam in poliendis* Veteribus, *Græcis Latiniſque. Quorum pleraque Opera (partim Librariorum ignorantia, partim incuria Typographorum) ita ſunt corrupta; ut de recto ſive ſenſu, ſive lectione ſine varietate Codicum conſtare nunquam potuiſſet. Freti illa autoritate* Manutii, Stephani, Gryphius, Frobenius, Commelinus, *Claſſicos (quos vocamus) Autores ſatis accurate publicarunt; multo correctiores edituri, niſi in ea Literarum infantia pars Manuſcriptorum magna jacuiſſet in pulvere & forulis. Ut vero Codices paulatim emicuerunt; Scriptores, Eruditorum opera recognitos, emendatiores accepimus. Ad hanc enim rem magnopere proſunt Libri Manuſcripti, etiam oſcitanter exarati: imo ex falſa ſcriptione veram ſæpe lectionem colligimus. Optandum eſſet interea, ut ſoli Librariorum errores in Codicibus comparerent, editis vel Manuſcriptis, ſacris aut profanis. Sed Concilia, Patres, imo Sacram Scripturam, ſtudioſe contaminarunt Pontificii: ſive mutilantes, ne ſuis opinionibus adverſarentur; ſive diſtorquentes, ut ſua dogmata eorum autoritate ſtabilirent. Improbitas ſane ſumma! non tamen à Reformatis detegenda, niſi teſtimonio Manuſcriptorum qui evaſerint ex hujuſmodi Falſariorum manibus. Ut vero teſtimonium eo preſſius eſt & uberius, quo pluribus Exemplaribus innititur; ita ſine Codicum Manuſcriptorum Catalogis, non ſatis commode invenienda eſt Exemplarium varietas. In Pontificiis refellendis feliciter laboravit Cl.* Jameſius; *ut ex Libro intelligimus quem de ea re ſeparatim ſcripſit. Quod ſi ille, in ea Codicum paucitate, tam præclare potuit de Eccleſia mereri; noſtra profecto ætas non videbitur intelligere Providentiæ beneficium, niſi ex tanta multitudine Manuſcriptorum Sacros pergat Scriptores reſtituere.*

A Veterum recenſione, tranſeamus ad Novorum editionem: in quo negotio, quantum profutura eſt Reipublicæ Literariæ Britannia, ex hoc Theſauro Manuſcriptorum jam tandem intelligimus. Hunc percurrentes Catalogum, quanta cum voluptate in incognita & inaudita incidimus; plurima etiam invenimus, quæ jamdudum deperdita putabantur! Singulis fere paginis occurrunt Chartæ, Inſtrumenta, Tractatus; è quibus in publicum aliquando prolatis, illuſtrari poſſent & noſtræ & alienæ hiſtoriæ. Neque dubitandum eſt, quin Academia Oxonienſis (*adoleſcentibus ingenuis & laborioſis abundans*) *tempeſtive emittet, quæcunque prelo digna ſuppeditat Bibliotheca Bodleiana; Reverendum in Chriſto Patrem* Joannem Fellium (*Epiſcopum nuper* Oxonienſem, *& inſigne Literarum Decus*) *illud inſtituiſſe accepimus. Cujus Præſulis memoriam cum tantopere venerantur* Oxonienſes, *ejus exemplum ſecuturos ſperamus: patefactis præſertim Manuſcriptis, & re Typographica tam pulchre conſtituta.*

Ut autem, hujus Catalogi editione, nova deteguntur Inſtrumenta; ita novis incœptis via aperitur: ad gloriam profecto Britanniæ magnopere pertinentibus, ſed de quibus antea perficiendis ſane cogitari non potuit. Civilem Angliæ Hiſtoriam diu multumque deſideravimus; Eccleſiaſtica non minus caremus. Etſi enim aliquid in utroque genere ſcriptum habeatur; quicquid tamen hucuſque vidimus, à juſta hiſtoria longo intervallo abeſt. Difficultas ſcilicet materiæ inveniendæ, ab opere ſuſcipiendo plurimos deterruit: qui vero aggreſſi ſunt, fideles quatumvis & diligentes, Libris tamen Manuſcriptis deſtituti, & omiſerunt plurima minime prætereunda, & res maximi momenti non ſatis accurate repræſentarunt. Quibus incommodis medentur Manuſcriptorum Catalogi. Ut enim arguitur vel ignorantiæ vel incuriæ, ſi quis ex varietate lapidum, tiguorum, & cœmenti, ædificium erigat debile aut inelegans; ita quiſquis ex hac parata materiæ abundantia Hiſtoriam confecerit exilem jejunamque, ſeſe aut imperitiæ aut ignaviæ accuſaturus eſt. Qui vero objiciunt, plurimum ruderis in hoc cumulo inveniri; inſulſe admodum loquuntur. Namque illa querela ex altera harum cauſarum proficiſcitur: vel, quia ipſi non ſtatim perſpiciunt, in quos uſus ſingula convertantur; vel quia omnes Eruditionis partes, niſi quibus ipſi incubuerunt, tanquam nugas contemnunt. Quarum altera imperitiam literarum; altera anguſtiam animorum oſtendit. Quemadmodum enim in negotiis Literariis verſati, ex rebus tenuiſſimis doctas ſæpenumero obſervationes colligunt; ita puſilli animi certius teſtimonium non eſt, quam omnium diſciplinarum utilitatem ex ſui ingenii indole metiri. Hoc igitur omnino ſtatuendum; nihil eſſe tam abjectum in univerſa literatura, quin & culturam mereatur, & cultum, adſerat humano generi emolumentum.

Vale.

XIV. Kal. Januarii,
CIↃↃCXCVII.

8

In feneſtrâ Eccleſiæ de Greenwich in agro Cantiano

J. Burghers ſculp.

QUUM Librorum MSS. Catalogi (qui hic habentur) cum Indicibus ſuis, jam tandem ſunt abſoluti, & Typis impreſſi: viſum eſt, Præfationis loco, præmittendum eſſe aliquid, tum de Catalogis ipſis, tum de Indicibus ſubjunctis (quorum Cura mihi fuit injuncta,) quo quibuſdam, quæ forte oboriri poſſint, Objectionibus reſpondeatur.

Quippe cum Negotium hoc ſit complurium manibus abſolvendum, quorum non omnium eadem ſit in omnibus ſententia; ejuſque aliæ atque aliæ partes ſucceſſive, aliis aliiſque temporibus, Editorum manibus appulerint, (non ſimul omnes;) non exſpectandum eſt, ut uniformi tenore procedant omnia; quod efficiendum foret, ſi fuerint ſimul omnia (uno intuitu) oculo conſpicienda, atque eodem conſilio peracta omnia. Non dubitandum igitur eſt, quin Lector candidus, & non iniquus rei cenſor, veniam ſit facile conceſſurus, ſi rigido examini non accurate reſpondeant omnia; ſitque æqui bonique conſulturus hoc quicquid ſit laboris, in ipſius gratiam ſuſcepti, ejuſque commodo ſubſervituri.

Pauca interim ſunt (præſertim quæ Indices ſpectant) quibus ſpeciatim occurrendum cenſui. I. Quod inter hos Codices MSS. occurrant nonnulli Typis impreſſi. II. Quod horum nonnulli, quamvis Manuſcripti, non magni ſint momenti, & vix ulli forſan uſui futuri. III. Quod nimis curta ſit nonnunquam indicatio Codicum ab antiquis Authoribus ſcriptorum; omiſſo forſan Authoris Nomine, aut Ætatis Charactere qua ſcriptus fuerit ille Codex, (cum id genus aliis, unde magna ex parte dependeat Codicis Authoritas;) nec ſatis aliquando diſtinguantur Authores diverſi, quibus idem forte Nomen contigerit; &, contra, cum Scriptor idem, diverſis Characteribus indicatus, pro diverſis habeatur; aut cum Liber aliquis fuſius forte commendetur, aliuſque parcius, quam meruerit. IV. Ea quæ orta ſunt ſphalmata, ex eorum, qui Catalogos exhibuerint, ſive Judicii ſive Diligentiæ defectu. V. Quæ Errata Preli contigerint non pauca. Hæc ſunt quibus ſingulatim reſpondendum putavi.

I. Libri Impreſſi, Manuſcriptis intermiſti, non ſunt adeo multi; ſuntque illis Catalogis inſerti, unde colligitur hicce; nec erant commode ſeparandi: utpote, Bibliothecæ *Bodleianæ* eorum dono dati qui MSS. dederint, eiſque non ſine injuria ſubducendi. (Puta, qui habentur inter MSS. Rev. Archiepiſcopi *Cantuarienſis, Guilielmi Laudi*; quique ex dono D. *Franciſci Junii F. F.* & aliorum.) Alii qui, quamvis Impreſſi ſint, ſunt tamen ſive propter raritatem, ſive ob aliam cauſam aliquam, inſtar Manuſcriptorum habiti, & MSS. connumerati; cumque illis recluſi, nequando alias perirent. Alii, qui fuerant Rev. Epiſcopi *Norvicenſis*, aut D. *Iſaaci Voſſii*, aut D. *Edwardi Bernardi*; fuerantque cum MSS. collati, vel antiquitus editi, & raro proſtantes, adeoque pluris æſtimandi.

II. Viſum eſt, MSS. omnes, (ſive minoris ſive melioris notæ,) prout in Bibliotheca occurrunt, in Catalogum redigere; eo quod diverſis uſibus inſervire poſſint, variiſque curioſorum hominum propoſitis. Adeoque qui huic forte homini videantur negligendi; iidem alii, qui alia ſibi propoſuit inquirenda, forent in ſuos uſus expetendi. Quin &, quum in eodem Volumine diverſi Tractatus occurrunt plures, ſi eorum aliqui minoris forte ſint æſtimandi, id compenſabit aliorum valor. Sed &, niſi ita notentur omnes prout in Bibliotheca *Bodleiana* comparent, non adeo commode poſſent, cum expetuntur, reperiri. Quique ab aliis huc aliunde Catalogi tranſmiſſi fuerint, (quorum tamen libros omnes nobis non datum eſt inſpicere,) ſi huic non inſerantur, id ipſum illis cenſeretur injuria.

III. Fatendum eſt, non tanta accuratione deſcriptos eſſe Catalogi libros omnes, quantæ res capax eſſet. Verum illud accuratione ſumma peragere, nec unius hominis opus eſſet, nec parvi temporis. Ecquis enim eſt, qui tot Linguarum peritus eſt, tantoque abundat otio, ut eos omnes poſſit evolvere, & quid in quoque notatu dignum ſit indicare; quid horum ſit aut editum, aut non editum, inſinuare; &, quibus Editionibus emendandis ſubſervire poſſint? Nedum qui poſſit, ſive inſpectis ſive non inſpectis libris illis omnibus, ſatis determinare, quo tempore, aut ubi locorum, aut quo Authore ſcriptus ſit eorum quiſque, ſi non ipſo Codice id fuerit diſerte indicatum?

IV. Hinc item reddenda ratio eſt, ſicubi in horum aliquibus erratum ſit. Nec mirum eſt, ſi ſit. Imo quidem, ne ſperari poteſt ut non ſit aliquoties. Neque enim exſpectandum eſt, ut hujuſmodi opus ſit prima vice completum; ſed variorum hominum eruditorum Obſervationibus gradatim complendum. Et quidem gratum opus præſtabit ille, ſiquis ex Obſervatione ſua, vel ex inſpectis aliis Manuſcriptorum Catalogis, ſupplere dignabitur quod hic deeſt, aut quod erratum eſt emendare. Quæ ſi ad nos tranſmittantur, ea noſtro Catalogo, interpoſitis foliis, inſcribentur: unde poſſit quis in ſuos uſus tranſcribere; &, ſiquando iterata veniat horum Editio, poterit ea plenius & accuratius prodire.

V. Errata quod ſpectat Typographica; poterat ea Lector candidus vel Excuſare, vel ſuo calamo Emendare. Et quidem dolendum eſt, quod D. *Bernardus* (tali negotio bene comparatus) tam ſero ſe huic operi applicuerit, ætate ſua declinante; fueritque illis ſive morbis ſive infirmitatibus correptus, & tandem abreptus; ut non valuerit totum opus abſolvere, vel ita Prelo intendere, ut ſingula potuerit (prout prodierunt) folia examinare, ne (pro Operarum incuria) mendis infecta eſſent. Quibus interim emendandis cura dabitur, in eis Catalogis qui in ipſa proſtant *Bodleiana* Bibliotheca, ipſius uſui immediato deſtinatis.

Monendum porro duxi, nihil hic Oſtentationis, aut Privati Emolumenti, Academiæ hac in re propoſitum eſſe; nec aliud quicquam, quam ut publico bonarum literarum commodo ſubſerviret hæc Editio. Mature quidem inſinuatum eſt Erudito Orbi, curaque adhibita, ut Manuſcriptorum Tituli, qui in *Anglia* atque *Hibernia* (in Bibliothecis ſive Publicis ſive Privatis) habentur, Academiæ impertirentur. Eoque ſucceſſu res proceſſit; ut Manuſcriptorum Tituli quaſi Triginta Millium in hoc Catalogo noſtro compareant. Nec tamen ita rem exhauſtam puto, quin alia adhuc Triginta Millia habeantur in *Anglia*, quæ in Catalogis hiſce non memorantur.

Eorum qui ſunt in Sororia nobis Acad. *Cantabrigienſi*, non habemus omnium Catalogum. Qui ſunt in privatis Collegiorum ibidem Quatuor Bibliothecis, eorum Catalogos hic habemus; non ita Collegiorum reliquorum, nec qui ſunt in communi Academiæ Bibliotheca omnium: ſed brevem Catalogum, quem jam olim collegerat D. *Jameſius* ante multos annos. Quippe illis potius viſum erat ſuorum Catalogum ſeparatim à ſeipſis editum iri; quod ſperamus aliquando fore. Atque jam audimus eos id agere, ut, una cum ſuis, Catalogum emiſſuri ſint eorum

rum qui habentur in Bibliotheca *Lambethana*, Rev. Archiepiſcoporum *Cantuarienſium*: Neſcio an & aliorum.

Indices quod ſpectat: id opus mihi impoſitum eſt à Superioribus meis, (quibus obtemperandum erat,) jam ſtatim poſtquam ad hanc acceſſerim Academiam; ſaltem anno primo: cui me lubens accingebam operi. Voluerunt illi, ut (quam commode poſſit fieri) brevis eſſem; Authorum Nomina diſponerem ordine Alphabetico, (ſubjuncto indicio, ubi illorum ſcripta reperiantur,) non enumeratis ſpeciatim quos ſcripſerint Tractatibus: quippe hoc faceret, ut Index quaſi totius Catalogi molem æquaret.

Erat, jam tum, fere totus Catalogus Typis impreſſus; præter Additamenta quædam Manuſcriptis *Bodleianis* facta; & Auctarium Codd. MSS. Orientalium Reverendiſſimi Archiepiſcopi *Dublinienſis*, D. *Narciſſi Marſh*; & Catalogos quoſdam Privatarum Bibliothecarum ſerius huc allatos.

Putaverim ab initio, rem totam uno Indice comprehendere; ſed mutandum eſſe conſilium ſtatim deprehendi: eo quod tum Paginarum, tum Tractatuum, numeratio non continuaretur, de novo autem inciperet in ſingulis partibus. Quod eo fine factum eſt, ut poſſit quis, pro arbitrio ſuo, diverſas partes ſeparatim compingere, (interjectis foliis puris, additionum capacibus,) quarum quæque ſuum habeat Indicem.

Cum partem primam aggreſſus fuerim, quæ eſt Codd. MSS. Bibliothecæ *Bodleianæ*, & ſpeciatim *Baroccianorum*; ſenſi me imparem tanto negotio: quod (quo accuratus Index conficeretur) Virum poſtulabat, qui ſit omnigenis Linguis, Artibus, Scientiis, inſtructus; & bene noverit Authorum Characteres Tituloſque, quibus inſigniti fuerint; quos ediderint Tractatus; aliaque, quæ huc ſpectant: Et quidem, illum huic aptiſſimum negotio putaverim, qui fuerit in Catalogo colligendo occupatus. Nec pudet me hanc ingenuam inhabilitatis meæ edere confeſſionem; ut qui tum nuper huc acceſſerim aliunde, ubi aliis fueram occupatus negotiis.

Procedente opere, auctam perſenſi difficultatem: quum, propter varias ejuſdem Authoris deſignationes, difficile reperiebam ſuum cuique opus aſſignare. Verbi gratia; cum occurrebant, *Anaſtaſius Patriarcha Theopolitanus*, *Anaſtaſius Sinaita*, *Anaſtaſius Martyr*, *Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus*, *Anaſtaſius Monachus*, *Anaſtaſius Presbyter*, *Anaſtaſius* ſimpliciter; pronus eram exiſtimare, hos Authores fuiſſe plures: Quos, quum ipſos Tractatus conſulerem, deprehendi unum eſſe eundemque hominem. Quum interim plures fuerint nomine *Anaſtaſii*: Sicut & plures erant *Conſtantini*; inter quos *Conſtantinus Monachus*, *Conſtantinus Caſſinenſis*, *Conſtantinus Africanus*, *Conſtantinus Medicus*; quos omnes deprehendi ejuſdem hominis eſſe Titulos. Pariaque deprehendi in Titulis aliis. Contra vero, non raro contigit, quod duo pluresve fuerint eodem Nomine Tituloque inſigniti. Utpote, duo *Simeones Magiſtri*, duo *Simeones Logothetæ*, duo *Simeones Theologi*, duo *Gennadii* ~~*Scho-*~~ Polr. CP. ~~*larii*,~~ &c. Ut valde cautus quis eſſe debeat, ne unius opus alteri aſſignet; aut eundem hominem diverſos faciat.

Et quidem comperio tandem, me nonnunquam in his erraſſe. Utputa, cum putaverim (initio) *Jacobum Januenſem* & *Jacobum de Voragine*, fuiſſe diverſos; cum fuerint idem: quod Indicibus ſequentibus emendatum eſt. Sic *Petrus Comeſtor* & *Petrus Manducator*: aliaque forte ſimilia; à quibus, ſi jam eſſet ordiendum opus, magis caverem.

Sed & aliæ occurrebant difficultates. Puta; cum in Catalogo Generales adhibentur Tituli: ut *Sanctitas Papalis*, *Regia Majeſtas*, *Rex Catholicus*, *D. Ablegati Excellentia*, *D. Epiſcopus*, &c. Ubi opus erat conſilio, ut viderem, quis fuerit ille *Papa*, *Rex*, *Epiſcopus*, *Ablegatus*, &c. illic inſinuatus, quo poſſem Vero Nomini rem rite aſſignare. Quod tamen feci, quoties id fieri commode poſſet.

Taceo plures Tractatus Anonymos, quos ſuis (qui putantur) Authoribus aſſignavi; qua in re me excuſatum habeat Lector, ſiquando reperiat in Indicibus quid aſſignatum Nomini, quod in Catalogo non comparet. Sic, verbi gratia, in Indice primo, habetur * *Servius*, n. 1253. ubi, in Catalogo, habetur *Comment. in Virgilii Æneida,* ſuppreſſo nomine *Servii*. Item, in eodem Indice, * *S. Hermas*, n. 1087. ubi, in Catalogo, nomen *Hermæ* non comparet, ſed eſt ille Liber, *Viſiones* ſive *Paſtor S. Hermæ*. Item, in eodem Indice, * *Pancratius Monachus*, n. 3373. ubi tamen, in Catalogo, habetur ſolummodo *Manuelis Lampadarii Muſica*; ſed, cum librum inſpexerim, duos alios comperi Authores, *Pancratium* & *Joan. Damaſcenum*. Item, in eodem Indice, habetur *J.* * *Baſilides*, n. 3324. 3325. ubi, in Catalogo, ſolum habetur *Libri Moſcovitici*: Quos libros MSS. quum nuper (cum plurimis aliis) oſtenderim erudito Viro D. *Wilhelmo Henrico Ludolpho*, indicavit ille mihi, iis contineri Leges *Joannis Baſilidis* Imperatoris *Ruſſici*. Quæ pauca repeto, non tam ut oſtendam, quanto labore opus erat in concinnandis Indicibus; quam, ut Lector me non inſimulet culpæ, ſi non ſtatim invenerit in ipſo Opere Nomen quod innuit Index, uſque ipſum Opus inſpexerit, & inquiſiverit annon Author indicatus tale ſcripſerit Opus.

Methodum quod ſpectat, qua in Indicibus uſus ſum: Lectorem remitto, non tam ad numerum Paginæ adſcriptum, quam ad numerum Codicis; quod putaverim Lectori commodius: Nec tamen id pluries facio, quamvis in eodem Codice plures habeantur ejuſdem Authoris Tractatus, cum id facile deprehendat Lector omnes Codicis Titulos inſpiciendo. Ubi autem deficit numerus Codici adſcribendus, (quod ad pag. 258. factum eſt,) ad Paginam remitto, ejuſque Columnam primam vel ſecundam, literis *a* & *b* deſignatam.

Authorum Nominibus Aſteriſcum (*) adſcribo, quo diſtinguantur ab Anonymis: Illudque Authoris Nomen adſcribere ſoleo, (ſive ſit Prænomen ſive Cognomen,) quo utplurimum innoteſcit & vocari ſolet. Ubi autem deeſt Authoris Nomen; indicatur ejuſmodi Tractatus Anonymus, ſive ex ſubjecta Materia de qua agitur, ſive ex Loco quem reſpicit, ſimilive Accidente. Quæ Hiſtorica ſunt aut Topographica, indicantur ex Loci Nomine de quo agitur. Quæque Textum Biblicum ſpectant; poſt *Bibliorum* nomen in Indice ſequuntur, eo ordine quo Libri in Bibliis Vulgatis continue ſequuntur; neglecto ordine Alphabetico.

Monendum porro, quod Libri illi XXXIX, qui pag. 329. memorantur, non inſeruntur Indici; eo quod eorum omnium ſumma contineatur in D. *Aſhmolii* Hiſtoria Periſcelidis. Nec hic inſerui Libros impreſſos Bibliothecæ *Savilianæ*, pag. 303, quoniam illi in Catalogo diſponuntur ordine Alphabetico. Neque libros aliquot alios ſecundi Tomi, qui non ſunt Manuſcripti. Opera quædam *Dodſworthi*, *Dugdalii*, *Langbanii*, *Lelandi*, &c. (quibus continetur magna copia Genealogiarum, Cartarum, Epitaphiorum, Deſcriptionum, &c.) ego omnia ſigillatim in Indice inſinuavi. Duorum autem *Lelandi* Tractatuum, quibus aſſignatur n. 5112, poſterior habetur n. 5113. Suntque aliquot Codices MSS. in Collegiorum quorundam Bibliothecis reperti, qui non fuerant Catalogo inſerti, (ſive quod antea non fuerint animadverſi, ſive quod fuerint poſtea dono dati,) ideoque in Appendicem rejiciuntur; ad quos relatio facta eſt, voce *App.* Item, quod Catalogorum Tomus ſecundus finitus erat, pag. 388; & Index, qui huc ſpectabat, Typis impreſſus; cum tandem ſerius acceſſerunt libri, qui illic ad finem habentur, quam ut potuerint in Indice memorari ſuo loco.

Tandem monere non incommodum duxi; quod, poſt mortem Rev. Doctoris *Edwardi Bernardi*, ſibi comparavit Academia, (pretio librarum Anglicanarum plus minus 400,) Codices bene multos ſive Manuſcriptos, ſive cum MSS. collatos, ſive Virorum eruditorum Annotationibus illuſtratos, ſive alio aliquo nomine æſtimandos; qui, (una cum aliis, ſive dono datis ſive pretio emptis,) in

Bibliothecam hanc ingeſti ſunt, poſt ſcriptam illam Bibliothecæ *Bodleianæ* Hiſtoriam Catalogo præfixam. Item, quod D. *Georgius Wheeler* Eques Auratus, Codices ſuos MSS. dono dedit Collegio *Lincolnienſi* dicto, *Oxoniæ*. Item, quod Vetuſtiſſimus ille Græcus MS. Biblia Sacra continens, cum Epiſt. D. *Clementis* ad Corinthios, (dici ſolitus *Codex Alexandrinus*,) etiamnum exſtat in Bibliotheca Regia *Weſtmonaſterii*, (ad *S. Jacobi* ædes ;) utcunque contigerit in hoc Catalogo non memorari. Sed & monere viſum eſt, quod Diplomata illa Authentica &c. quæ ſpectant Eccleſiam *S. Mariæ*, *Warwici* ; ſunt peculia D. *Fiſh*, *Warwicenſis* : quod moneo, nequa lis poſthac ea de re oboriatur in ipſius præjudicium. Denique, ubi *Livii* Cod. MS. inter Codices *Laudinos* in Bibl. *Bodleiana* memoratur n. 894, hoc titulo, *T. Livii Decas prima, ſecunda & quarta*; dicendum erat, *T. Livii Decas prima, tertia & quarta*. Et quidem, ſi *Decas ſecunda* ibidem haberetur ; non dubium eſt, quin jamdudum foret (in commune ſtudioſorum commodum) Typis edita.

Atque hæc ſunt, quæ, cum Indicum ordinandorum negotium fuerit meæ Curæ commiſſum, monenda duxi.

OXONIÆ è *Collegio Univerſitatis*
Id. Sept. 1698.

Bibliothecam hanc ingeſſi ſunt, poſt ſcriptum illum Bibliothecæ Bodleianæ Hiſtoriæ Catalogo præfixum. Item, quod D. Georgius Wheeler Eques Auratus, Codices ſuos MSS. dono dedit Collegio Lincolnienſi Oxoniæ. Item, quod vetuſtiſſimus ille Græcus MS. Biblia Sacra continens, cum Epiſt. D. Clementis ad Corinthios, (dici ſolitus Codex Alexandrinus) [illegible], exſtat in Bibliotheca Regia Weſtmonaſterii, (ad S. Jacobi ædes) tametſi ne corrige-re in hoc Catalogo non meminerim. Sed [illegible] illum eſt, quod Diplomata [illegible] &c. quæ ſpectant Eccleſiam S. Albani Wigorniæ, ſint peculia D. [illegible] Waramundi; quo nomine, neque [illegible] de re obſervatur in ipſius [illegible]. Denique, ubi Veteri Cod. MS. inter Codices Langbanii in Bibl. Bodleianæ memoratur n. 80, hoc titulo, T. Livii Decas prima, ſecunda & quarta, diceretur eſſe, T. Livii Decas prima, tertia & quarta. Et quidem, ſi Decas ſecunda ibidem haberetur, non dubium eſt, quin non ſolum foret ſingularis, ſed ſtudioſorum commodum & [illegible] edita.

Atque hæc ſunt, quæ, cum laboris ordinationem negotium fuerit meæ Curæ commiſſum, monenda duxi.

[illegible] Collegii [illegible]

[illegible] 1697.

In hiſce Voluminibus continentur,

TOM. I. PART. I.

Vita D. Tho. Bodleii.
Hiſtoria Bibliothecæ Bodleianæ.
Catalogus Codicum Manuſcriptorum Baroccianorum. pag. 1.
Cat. Codd. MSS. D. *Tho. Roe.* 35.
Oliverii Cromwellii. 39.
Reverendiſſ. D. *Guil. Laudi.* 46.
D. *Kenelmi Digbæi.* 77.
MSS. Nota NE (in Bibliotheca) inſignitorum. 89.
Supra *A. &c. Art.* p. 129. n. 2496.
In *Arch. A. Bodl.* p. 149. n. 2784.
In *Arch. B. Bodl.* p. 153. n. 2990.
In *Arch. C. Bodl.* 156.
In *Arch. A. Seld.* 157.
Seld. ſuperius. p. 159. n. 3213.
In *Arch. B. Seld.* p. 161. n. 3331.
Seld. ſupra. p. 164. n. 3389.
In *Muſæo.* p. 168. n. 3491.
Bibliothecæ dat. per D. *Huntingdonum.* 177.
a D. *Gravio* empt. 178.
D. *Ric. Jameſii.* 179.
D. *Tho. Fairfax.* 180.
DD. *Lamb, Clerici, Thurſtoni,* &c. 181.
D. *Hattoni.* 183.
D. *Car. Hattoni, & Sam. Petiti.* 181.
Rogeri Dodſworthi, num. CLX. 187.
D. *Joan. Lelandi.* 235.
D. *Franc. Junii, F. F.* 249.
Cat. accuratior MSS. D. *Ric. Jameſii.* 258.
Contenta Schedarum D. *Iſ. Caſauboni.* 264.
Cat. MSS. D. *Ger. Langbainii.* 268.
D. *Tho. Mareſchalli.* 272.
D. *Ed. Pocockii.* 274.
a D. *Rob. Huntingdono* empt. 279.
Empt. a D. *Tho. Hyde.* 286.
Rev. Dom. *Tho. Barlovii.* 288.
D. *Guil. Dugdalii.* p. 292. qui ſervantur in *Muſæo Aſhmoliano*, cum aliis aliquot D. *Guil. Kingsley*, D. *Joan. Aubrey*, & D. *Edw. Morgan.*
D. *Henrici Savilii*, p. 299. qui ſervantur in Bibliotheca *Saviliana.*
Cat. Libb. impreſſorum in Bibliotheca *Saviliana.* 303.
Contenta MS. D. *Joan. Lelandi.* 314.
Cat. MSS. in Bibliotheca *Aſhmoliana.* 315
D. *Ant. à Wood.* p. 359. qui ſervantur in *Muſæo Aſhmoliano.*
Empt. ab eodem D. *à Wood.* 371.
Cat. aliorum quorundam MSS. ejuſdem D. *à Wood.* 372.
Cat. aliorum MSS. D. *Tho. Mareſchalli.* 373.
Rev. D. *Joan. Felli*, &c. 374.
Index Codd. MSS. in Bibliotheca *Bodleiana*, &c.

TOM. I. PART. II.

Cat. Codd. MSS. in Bibliotheca Collegii *Univerſitatis.* p. 1.
Balliolenſis. 6.
Mertonenſis. 12.
Exonienſis. 25.
Orielenſis. 27.
Reginenſis. 29.
Novi. 31.
Lincolnienſis. 39.
Omnium Animarum. 44.
Ænei Naſi. 46.
Corporis Chriſti. 48.
D. *Joan. Baptiſtæ.* 59.
S. Trinitatis. 64.
Jeſu. 67.
S. Mariæ Magdalenæ. 71.
Rev. D. *Barlovii*, in Coll. *Reginenſi* ſervat. 79.
Aulæ *S. Mariæ Magdalenæ.* 84.
Coll. *Wadhamenſis.* 85.
Codices per D. *Tho. Lydiatum* &c. ſcripti, & Biblioth. *Bodleianæ* dono dati, per D. *Guil. Cowardum.* 86.
Addenda & Corrigenda in Catt. Collegiorum & Aularum *Oxonienſium.*
Index Codd. MSS. in Bibliothecis Collegiorum *Oxonienſium.*

TOM. I. PART. III.

Cat. MSS. Coll. *S. Emanuelis.* 89.
S. Trinitatis. 93.
Sydney-Suſſex. 103.
Caio-Gonvilenſis. 107.
S. Benedicti. 131.
Domus *S. Petri.* 147.
Aulæ *Pembrochianæ.* 156.
Coll. *Jeſu, & Regalis.* 162.
Aulæ *S. Trinitatis.* 163.
Bibliothecæ Publicæ *Cantab.* 164.
Index Codd. MSS. in Academia *Cantabrigienſi.*

TOM. II. PART. I.

Catalogus Codicum MSS. Eccleſiæ Cathedralis apud *Eboracum.* 1.
Eccleſ. Cathedr. *Dunelmenſis.* 5.
Eccleſ. Cathedr. *Carliolenſis.* 13.
Comitis *Carliolenſis.* 14.
Eccleſ. Cath. *Wigornienſis.* 16.
Eccleſ. Cath. *Sariſburienſis.* 23.
Eccleſ. *Weſtmonaſterienſis.* 27.
Eccleſ. Cath. *Wintonienſis.* 30.
Collegii *Wintonienſis.* 31.
Eccleſ. Cath. *Lichfeldenſis.* 32.
Scholæ *Coventrienſis.* 33.
Comitis *Denbigenſis.* 35.
Civitatis *Briſtolienſis.* 40.
Hoſpitii *Grayenſis.* 41.
Eccleſ. Cath. *Herefordenſis.* 43.
Collegii *Etonenſis.* 46.
Dom. *Guil. Glynne* Bar. 49.
Eccleſ. Cath. *Exonienſis.* 55.
D. *Iſaaci Voſſii.* p. 57. qui nunc ſervantur *Lugduni Batavorum.*

D. *Rob. Plott.* LL. D. 73.
Collegii *Greſhamenſis.* 74.
D. *Tho. Wagſtaffe,* Eq. Aur. 85.
D. *Pet. Leneve,* Proſecutoris ad Arma. p. 87. v. p. 389.
D. *Franc. Bernardi.* M. D. 89.
D. *Joan. Evelyn.* 93.
Rev. D. *Abrahami Selleri.* 96.
D. *Joan. Hobii,* Eq. Aur. 97.
D. *Nath. Johnſoni.* 99.
D. *Guil. Bromleii.* 102.
Rev. D. *Joan. Ouſley.* 103.
Bibliothecæ *Salopienſis.*
Eccleſ. Cath. *Wellenſis.*
D. *Ric. Brideoake.*
D. *Franc. Maſhami.* 104.
D. *Gualt. Chetwyndi.* 105.
Coll. *Sionenſis.* 106.
D. *Guil. Wright.* 108.
D. *Edw. Tyſoni.* M. D. 109.
D. *Edw. Browne.* M. D. 111.
D. *Hen. S. Georgii,* Eq. Aur. 112.
Comitis *de Longueville,* ſive Bibliothecæ *Yelvertonianæ.* 113.
Notitia MSS. in Collegio *Armorum.* 175.
Cat. MSS. Hoſpitii *Lincolnienſis.* 179.
D. *Jac. Wright.* 182.
Summarium Rotulorum, &c in *Turre Londinenſi.* 183.
Cat. MSS. Rev. D. *Tho. Gale.* 185.
Comitis *Petriburgenſis.* 196.
D. *Car. Theyeri.* 198.
Eccleſ. Collegiatæ *Warwicenſis.* 203.
D. *Sam. Pepyſii.* 207.
D. *Hen. Worſley.* 211.
D. *Edw. Norwich,* Bar. 215.
D. *Hen. Langley,* Eq. Aur. 216.
Rev. D. *Hen. Jones.* 217.
Rev. D. *Hug. Todd.* 219.
D. *Joan. Verney.* 221.
Aliquot ſcripta *Joan. Gadburii.* ib.
Cat. M S. D. *Joan. Ayres.* 222.
Bibliothecæ *Mancunienſis.* ib.
Cat. MSS. Rev. D. *Ric. Wroe.* ib.
Eccleſ. Cath. *Cantuarienſis.* p. 223. v. p. 389.
Rev. D. *Edw. Bernardi.* 226.
D. *Rad. Thoresby.* 229.
Rev. D. *Rob. Burſcough.* p. 232. v. p. 359.
D. *Tho. Brotherton.* 236.
In Ædibus *Jacobæis.* 239.
Ric. Parſoni. LL. D. 249.
D. *Guil. Comberi.* ib.
Cinnus MSS. 250.
Cat. MSS. D. *Hans Sloane,* M. D. 251.
D. *Breretoni Bourchier.* 256.
D. *Edw. Conſini.* 253.
Rev. D. *Abr. Pryme.* 254.
Cujuſdam ex Hoſp. *Graienſi.* 255.
Comitis *Derbeienſis.* 356.
D. *Guil. Brewſter.* M. B. ib.
Rev. D. *Georg. Wheeleri,* Eq. Aur. 357.
D. *Hen. Farmeri.* 358.
Appendix MSS. Rev. D. *R. Burſcough.* p. 359. v. p. 232.
Auctarium MSS. per D. *Abr. Pryme.* 360.
Cat. M S. Rev. D. Epiſcopi *Norvicenſis.* p. 361. v. p. 390. & p. 393.
D. *Symonds D'Ewes.* 385.
MSS. omiſſi Eccleſ. *Cantuarienſis.* p. 389. v. p. 223.
Auctarium MSS. D. *Pet. Leneve.* p. 389. v. p. 87.
Libri aliquot MSS. &c. Rev. D. Ep. *Norvicenſis.* p. 390. v. p. 361. & p. 393.
Cat. MSS. Comitis *Kantii.* 391.
Auctarium MSS. Rev. D. Ep. *Norvicenſis.* p. 393. v. p. 361. v. p. 390.
Addenda quædam & Emendanda. 399.
Index MSS. in hiſce tam Publicis quam Privatis *Angliæ* Bibliothecis.

TOM. II. PART. II.

Cat. MSS. Comitis *Clarendonienſis.* 3.
Collegii *Dublinienſis.* 16.
D. *Dudleii Loftuſii.* 49.
Rev. Dom. Archiep. *Dublinienſis.* p. 52. v. p. 61.
D. *Joan. Maddeni.* p. 57.
Auctarium MSS. D. Archiep. *Dublinienſis.* p. 61. v. p. 52.
Index Codd. MSS. in Bibliothecis *Hiberniæ.*

VITA
THOMÆ BODLEII
Equitis Aurati.

ET

HISTORIA
Bibliothecæ Bodleianæ
OXONII.

VITÆ
THOMÆ BODLEII
Synopſis.

	A. D.	Regn.		Ætat.
Natus eſt	1544.	H. VIII.	35.	01.
Genevam ivit cum Patre	1556.	Mar.	3.	12.
Domum rediit	1558.	Eliz.	1.	14.
Oxonium miſſus	1559.		2.	15.
Artium Baccalaureus	1563.		6.	19.
Collegii Merton. Socius	1564.		7.	20.
Linguæ Græcæ ibidem Prælector	1565.		8.	21.
Artium Magiſter	1566.		9.	22.
Procurator Academiæ	1569.		12.	25.
Privata ſtudia proſecutus eſt } *ab An.*	1570.		13.	26.
} *ad An.*	1576.		19.	32.
Peregrè profectus eſt	1576.		19.	32.
[illegible] [illegible] manſit ad Annum	1580.		23.	36.
Somatophylax Reginæ Elizabethæ	1583.		26.	39.
Uxorem duxit	1585.		28.	41.
Legatus mittebatur in Germaniam	1585.		28.	41.
Legatus ordinarius in Belgio	1588.		31.	44.
Legatus in Galliam	1589.		32.	45.
Provincias Fœderatas reliquit	1597.		40.	53.
A Republica receſſit	1597.		40.	53.
Oxonii Bibliothecam incœpit	1597.		40.	53.
Bibliothecam aperuit	1602.		44.	58.
Miles creatus eſt	1604.	Jac.	2.	60.
Mortem obiit.	1612.		10.	67.


THOMAS BODLEIVS MILES.
THOMAS BODLEIVS MILES.

VITA
THOMÆ BODLEII
Equitis Aurati.

Nativitas. THOMAS BODLEIUS natus eſt in civitate Exoniæ, ſecundo die Martii, anno Dominicæ Incarnationis MDXLIV. [a] Patrem habuit *Jo. Bodleium*, Matrem *Joannam*, filiam & hæredem *Roberti Hone* de Ottery in Comitatu Devonienſi: ab utraque parte generoſâ familiâ oriundus. Horum Parentum filius natu maximus erat; eóque jure patrimonii ſatis opulenti hæres.

Annus illius primus in trigeſimum quintum Henrici VIII. incidit: cum Religio Reformata, ab eo Principe inſtituta, omnem ferè Angliam occupaſſet. Cujus profeſſioni Parentes pertinaciter hæſere: regnante etiam Edwardo VI. & ipſi retinuere, & filiolum (quamprimum per ætatem licuit) eâdem perſuaſione imbuerunt. [b] Prima literarum elementa *Educatio.* Exoniæ didicit; & in ea civitate, artibus quibus erudiri in Scholis pueritia ſolet, ad annum ætatis nonum diligenter incubuit. *1553.* Quo tempore mors immatura Edwardi, & Mariæ Reginæ ſucceſſio, Religioni Reformatæ perniciem, hujus Parentibus calamitates denunciavit. Omnibus enim illius erga Papam voluntas cognita fuit atque perſpecta: nec dubium eſſe cuiquam potuit, quin Fæmina (neque Patris auctoritate neque Fratris exemplo à Romanâ Religione divellenda) Imperio demum potita, Reformationem extingueret, Papiſmum reſtauraret.

Qua tempeſtate ingruente, quotquot fuiſſent odio in Papalem Religionem eminentiores, ſibi mature conſulendum arbitrati, ſeſe ex Anglia ſubduxere. Bodleii vero patrem, præter commune periculum quod intulit Reginæ perſuaſio, [c] privatorum etiam minæ terruerunt. Acerba ſanè hominis conditio: cui fuit, vel cum inſigni fortunarum incommodo peregrinandum; vel cum perpetuo vitæ diſcrimine in patria commorandum. *Cum patre in Germaniam fugit.* Cum vero opibus vitam, vitæ Religionem anteponeret; in fuga ſalutem quærere conſtituit, quamprimum idonea daretur occaſio in Germaniam tranſeundi. Diſpoſitis rebus domeſticis, *Weſel.* cum tota familia transfretavit; & in *Veſaliam*, Cliviæ oppidum ad Rheni ripam, divertit. Eò enim magnus Anglorum numerus Religionis cauſa confugerat; qui, civium indulgentiâ, Preces publicas ſuo ritu, ſuo ſermone Conciones habuerunt. Inde *Francofurtum* profectus eſt; quo in oppido profugi ex Anglia pari humanitate recepti, eâdem in ſacris peragendis libertate fruebantur. Sed his, tanquam diverſoriis potius quam habitandi locis uſus eſt. Sedem *1556. æt. 12.* enim *Genevæ* tandem conſtituit; multitudine Exulum & charitate erga Reformatos, illis temporibus longe celeberrimæ.

Genevæ, ſtudiis incumbit. De tota Familia hactenus; de Thoma, filio natu maximo, deinceps dicetur. Hujus inſtitutioni primò incommoda, poſtea admodum utilis, illa (quam diximus) peregrinatio fuiſſe videtur. Ingreſſos enim ſtudiorum curſum, guſtuque levi literarum imbutos, ſi quicquam forte interpellat; præcepta, quæcunque hauſimus, ex molli memoria labuntur,

---

[a] Wood *Athenæ*, Vol. 1. pag. 316. [b] Ibid. [c] Commentarii Vitæ Bodleii à ſe ſcripti.

& calor atque impetus animi deſuetudine defervescit. Bodleii vero ingenium non ſolùm temporis intervallum labefactavit; ſed etiam Parentum calamitas, ſoli mutatio, longi itineris tœdia. Quæ tamen damna, Genevenſium civitas viris eruditis repleta, cum Academiâ ante aliquot annos inſtitutâ, abunde refarcivit. [a] Annos natus duodecim ad eam urbem pervenit; qua ætate, *Chevalerii*, *Berealdi*, *Calvini*, *Bezæ*, & aliorum ejus Academiæ Profeſſorum, Auditor idoneus putabatur. *Ingenii promptitudo.* Quod ſane ita mirum eſt; ut nec ipſe crederem nec aliorum fidei commendarem, niſi *Bodleius* (Vir in cæteris gravis & ſeverus) inſeruiſſet ſuæ Vitæ Commentariis, extrema etiam ſenectute ſcriptis. Hanc ille inſolitam maturitatem Parentis diligentiæ modeſte tribuit: quæ tamen nemini poſſet contingere, niſi magna promptitudine ingenii imbuto. Hujus exemplo intelligimus, quàm longe errant, qui liberorum Inſtitutionem in firmiores annos differendam putant: quantumque valeat ad diſciplinas capiendas *prima* etiam ætas, prudenter modò tractata; hoc eſt, nec indulgentiâ parentum ſoluta, nec intempeſtivâ ſeveritate fracta, nec ignaviæ diuturnitate corrupta. Præter publicos Prælectores, privatos etiam Magiſtros habuit; qui ſecum apud *Philibertum Sauacenum*, hoſpitem, ejus civitatis medicum, vixere. Inter cæteros, Homerum ei expoſuit *Robertus Conſtantinus*; ille, cujus nomen *Lexico* celebre, quod ſingulari induſtria ex Græcis auctoribus collegit.

In Angliam redit. *1558. æt. 14.* Tali modo fundamenta literarum poſuit: quibus dum ſedulo ac ſecurè incumbit, moritur Maria Regina. Elizabetha ſoror & Regni hæres, priſtinâ Religione revocatâ, non *tutum* modo ſed *jucundum* Exulibus reditum patefecit. Nec enim dubitari potuit, quin eos peculiari charitate complecteretur Regina; quæ non modo clariſſima edidiſſet indicia ſuæ erga Proteſtantes voluntatis, ſed in communi cauſa diſcrimen capitis ſæpius ſubjiſſet. Hac igitur perlata rerum mutatione, domum turmatim advolant: cum reliquis, *Johannes Bodleius*, uxor, & domeſtici. Annos jam quatuordecim numeravit filius primogenitus; uſu rerum & literis longe ſupra ætatem inſtructus. *Oxonium mittitur 1559. æt. 15.* Sequente anno, Oxonium profectus, in Collegium B. Mariæ Magdalenæ admiſſus eſt, curæq; *Laurentii Humfredi* S.T.P. à patre commiſſus. Hic enim, Maria regnante, in Germania etiam exulerat; reverſuſque, ob ſummam eruditionem, ſui Collegii Præſes; & propter magna in Eccleſiam merita, Regius Theologiæ Profeſſor conſtituebatur.

Sub hoc Gubernatore quatuor annos in ſtudiis conſumpſit Bodleius. Poſt quadriennium, Gradum Baccalaurei in Artibus ſuſcepit; quo etiam anno, Socius Collegii Mertonenſis electus eſt. *Art. Baccalaureus, & Socius Merton. 1563. æt. 19.* In Græcis literis magiſtrum habuiſſe Conſtantinum, ſuperius diximus. Hujus præceptis & ſuâ ipſius diligentiâ, conſecutus eſt accuratam illius Linguæ cognitionem. Et ne fruſtra didiciſſe videretur; poſt biennium quam in eam Societatem cooptatus eſt, Græcam Prælectionem in Aula Publica incepit; obſecutus precibus Familiarium, qui quantum in ea parte potuit, optime noverunt. *Prælector Græcæ linguæ. 1565. æt. 21.* Prœmium laboris, niſi benefaciendi voluptatem, percepit nullum: donec Socii, perſpecta illius induſtria, quatuor *marcas* quotannis ei ſolvendas cenſuere; ſimulque deprehendentes, quantum utilitatis ex ea Inſtitutione eſſet perceptura juventus, Prælectionem illam (honeſto ſalario propoſito) perpetuam eſſe voluerunt.

Anno ætatis vigeſimo ſecundo, Artium Magiſter factus eſt. *Art. Magiſter. 1566.* Deinde privata ſtudia proſecutus, poſt triennium fere *Procuratorii* Officii Candidatus fuit. Ad quod Munus (illis temporibus) ex *tota* Academia nominabantur, *totius* etiam Academiæ ſuffragiis. Hunc ille honorem, magna contentione peti ſolitum, nullo reſiſtente aſſecutus eſt: *Procurator 1569. æt. 25.* ut appareat, illius gratiam & eminentiam, hujus Dignitatis ſpem omnibus aliis præripuiſſe.

Studia privata proſequitur. Munere Procuratorio defunctus, annos quinque continuos in ſtudio variarum Artium & Scientiarum tranſegit. Quarum nulli egregie præter cæteras incubuit, quaſi adjungens animum ad ſingularem aliquam Profeſſionem; ſed omnes mediocriter coluit. Jam enim ſecum ſtatuiſſet, omnem operam in rerum Civilium adminiſtratione collocare. Quam ad rem, magno ſibi uſui fore arbitrabatur, tum omni politiore literatura animum excolere, tum ſuperiorum temporum Hiſtorias cognoſcere. Ut enim in publicum prodeuntes, omni hominum generi varietas cognitionis commendat; ita in rebus Reipublicæ expediendis, aliarum gentium & ſeculorum exempla miram fiduciam & celeritatem pariunt. Quinquennii ſpatio, ex Libris hauſit quæ ad rem ſuam pertinere videbantur: quo finito, etſi ætatis idoneæ rebus adminiſtrandis erat (annum enim trigeſimum ſecundum *1576.* attigerat,) noluit tamen ſeſe immiſcere publicis regni negotiis. Credo, quia hominum notitiâ, linguis recentioribus, & aliarum gentium inſtitutis (quæ omnia plurimum proſunt) ſe adhuc minus inſtructum exiſtimavit. Hæc autem non temerè cadunt in vitam ſolitariam & umbratilem; neque ſunt ex auctoribus eruenda, ſed inter homines & in mediâ Reipublicæ luce quærenda. Quamobrem, annos aliquot apud exteras nationes peregrinari ſtatuit; ut domeſticam diſciplinam (aſſiduo labore partam) rerum uſu & experientiâ ornaret. Utinam noſtræ ætatis adoleſcentes, eodem conſilio, & mediocri ſaltem doctrina armati, vicinas gentes inviſerent. Certè ut in itinere exteris gratiores, ſibi jucundiores eſſent; ita redeuntes, plus virtutis & ſolidæ cognitionis, minus vitii levitatiſque reportarent.

---

[a] Comment. Vitæ.

Peregrinatur ab An. 1576. ad 1580.

Annis quatuor (quibus ab Angliâ abfuit) varias partes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, magno cum fructu pertranſiit; gubernandi rationes, populorum ingenia, rerúmque conditionem diligenter ubique obſervando. Domum reverſus, Somatophylax Reginæ Elizabethæ poſt triennium factus eſt: ubi autem eo triennio vixit, nihil certi reperio. In Collegio Mertonenſi ſtudia privata perſecutum arbitror; in nullis enim Reipublicæ negotiis occupatum adhuc invenio. Eo fortaſſe intervallo, publicus Orator Academiæ fuit; nam illud negotium geſſiſſe, ex Vitæ ejus Commentariis intelligimus. In Curiâ Reginæ Elizabethæ per duos annos verſatus, [a] uxorem duxit viduam opulentam, civitate Briſtolienſi oriundam.

Esquire of the Body. 1583. æt. 39.

Publicus Orator.

1585. æt. 41.

Burleigho charus.

Summa hominis prudentia & eruditio (tot annorum uſu ac ſtudio partæ) diu latere non poſſent, poſtquam ſeſe Reipublicæ oſtendit. In primis verò, ejus fides ac promtitudo in negotiis gerendis, intellectæ ſunt *Burleigho* Theſaurario; qui illis temporibus, & in adminiſtratione Reipublicæ & in Principis gratiâ, præcipuum meritò locum obtinuit. Hujus patrocinio factum eſt, ut Regina ſtatim ſentiret quàm accommodatum publicis negotiis Bodleii ingenium fuit. Rerum etiam per Europam conditio, nimium quidem turbida & infeſta, erat tamen Bodleianæ gloriæ admodum opportuna. [b] Eâ enim tempeſtate, Hiſpanus Belgii Ordines vehementer afflixit, Guiſii in Gallia motus excitarunt, Papiſtæ in Angliâ rebellionem cœperunt. Quæ omnia eo conſilio ſimul agitata ſunt, ut Religionem Reformatam ſive armis ſive inſidiis funditùs extirparent. Eò etiam ſceleris & audaciæ Jeſuitæ proceſſerant, ut certos homines incitarint ad Reginam nefariè tollendam. Hæc enim Proteſtantium quaſi Columna fuit; qua ſubverſâ, Reformationem ſponte ruituram viderunt. Illa interim, ut Regno ac Religioni tempeſtivè conſulat, omnibus modis conatur Principes Proteſtantes ſanctiſſimo fœdere conjungere; Belgii Ordinibus copias ſubminiſtrat; Reges Galliæ & Scotiæ obſecrat per ſuos Legatos, ut communem cauſam tueantur.

Legatus mittitur in Germaniam. 1585. æt. 41.

Cum de Legato in Germaniam mittendo ageretur, *Thomam Bodleium* nominavit; qui ſuperiore peregrinatione ingenia Germanorum didicerat, & odio quodam hæreditario erga Papalem Religionem imbuebatur. Mandata à Reginâ accepit, ad Electorem Palatinum, Duces Saxoniæ, Wirtenbergæ, Brunſwici, Luneburgæ, Marchionem Brandenburgi, & Landgravium Heſſiæ. Quantum periculi Proteſtantibus immineat, ſingulis luculentè exponit; eos precibus omnibus orat, ut cauſam Religionis ſuſcipiant; obteſtatúrque, ut periculo maturè occurrant, ne dum ſinguli pugnarent, univerſi Papæ & Hiſpanorum jugo ſubjicerentur. Addit, eorum magnoperè intereſſe, Henricum Navarræ Regem copiis ſublevare: indignum oſtendit, hunc Proteſtantium opem deſiderare, dum Guiſiorum conatibus opprimeretur; periculoſum verò, Regni Galliæ hæreditatem relinqui hoſtibus Religionis Reformatæ. Eâdem legatione Danorum Regem complecti jubetur; eúmque (præter argumenta ſuperiora) Reginæ nomine monere, ſua in primis intereſſe conſilia Guiſiorum reprimere; cùm illi non dubitâſſent ipſum Daniæ regnum cognato Ducis Lotharingiæ aſſerere.

In Daniam.

In Galliam 1589. æt. 45.

[c] Creſcit interim in Galliâ Rebellio. Guiſius, conjurationis princeps, tanquam unicus Religionis aſſertor à plebe & Eccleſiaſticis celebratur: ille ipſam Lutetiam ingreditur; Rex ſtatim præ metu urbe excedit. Verita Elizabetha ne illis difficultatibus Regis animus frangeretur, néque ad conditiones Proteſtantibus pernicioſas deſcenderet; ejus confirmandi causâ *Thomam Bodleium* in Galliam ſubmiſit. Cui ante omnia præcepit, ne iter aut itineris cauſam ulli declararet; adeo ut illa ne unum ſecum ducere famulum pateretur. Literas nullas pertulit, niſi quæ Reginæ manu ad ipſum Regem & ejus familiares ſcribebantur. Quod indicio eſt, quantam de Bodleio opinionem Regina prudentiſſima conceperat; quæ rem tam ſubitam támque difficilem hujus unius fidei commiſit. Neque illius ſpem & opinionem fefellit. Etſi enim hujus legationis Capita, neque docent Hiſtoriæ, neque privatæ ejus chartæ oſtendunt; ipſe tamen, ſui modicus æſtimator, in Vitæ Commentariis affirmat, eam à Reginâ feliciter inſtitutam, à ſe fideliter adminiſtratam, Guiſiis perniciem, Proteſtantibus ſalutem attuliſſe.

[a] Wood Athen. p. 317.
[b] Vid. Camd. Eliz. An. 1585.
[c] Camd. Eliz. An. 1589.

Legatus Ordinarius Hagæ-Comitis.

Anno MDLXXXVIII. ſuæ ætatis quadrageſimo quarto, miſſus eſt in Provincias Confœderatas, ut ſede Hagæ-Comitis fixâ, negotiis quæ Reginæ cum Belgis intercederent, omnibus præeſſet. Qui eo officio fungitur, Angli *Reſidentiarium* appellamus. Bodleio privilegia ampla & honorifica ab Ordinibus indulta ſunt: ut in magnum Statûs Concilium admitteretur; in Conventibus proximam Comiti Mauricio ſedem occuparet; nec intereſſet ſolum, ſed in publicis etiam decretis ſuffragium haberet. Triennio antea, Regina cum Provinciis fœdus percuſſerat; iiſque copias & bellicum apparatum ſub certis conditionibus ſuppeditavit. [a] Intereà, quorundam avaritiâ factum eſt, ut fœdus illud ex parte Anglorum minùs Religioſè ſervaretur: quod Belgæ ita indignè tulerunt, ut parùm abeſſet quin apertæ inimicitiæ conſequerentur. Has ille diſcordias, abſque ullis ex Angliâ mandatis, ſuâ unius prudentiâ diſſipavit: eóque nomine ingentem ab Anglis gratiam, à Belgis verò conſervatæ Reipublicæ teſtimonium retulit. Illis cognitis, Regina ad eum literas miſit, ſolatii ac benevolentiæ plenas; quibus teſtabatur quam ſibi gratæ eſſent illius fides ac diligentia. Experta porrò hominis prudentiam in tot difficilibus negotiis, rerum Belgicarum curam ei penè integram reliquit: adeo ut, obſervato rerum ſtatu, ſuum protinus judicium ſequeretur, nec illius auctoritatem magnoperè expectaret. Hunc tamen honorem detrectavit in cauſis gravioribus; quas, tanquam à Reginâ juſſus, Ordinibus propoſuit: quò illa certior interim facta, ſi ejus judicium minus probaret, maturè poſſet revocare. Argumentum ſanè viri modeſti, parcè & timidè de ſeipſo ſentientis; animíque pii indicium, patriæ utilitatem ſuæ gloriæ præferentis.

Reginæ erga eum benevolentia.

Poſt quinquennium ferè, diuturnitas ejus abſentiæ cæpit eſſe rei familiari vehementer incommoda. Quapropter, Reginam tum per literas tum per amicos ſolicitat, ut domum redeundi poteſtatem habeat. Veniâ ægrè impetratâ, revertitur: ſed apud ſuos paululùm commoratus, ad Provincias iterum miſſus eſt. Cauſa proficiſcendi hæc fuit. Anno MDLXXXV. Regina Belgii Ordinibus ſex millia peditum & Equitum mille commodârat; hac conditione, ut illa ſumptus ſuppeditaret, copiáſque mutilatas quotannis ſuppleret; Ordines, bello finito, nummos Reginæ rependerent. Longiùs bellum producitur, quàm quiſquam primò cogitarat. Hiſpani intereà nova moliuntur, Hiberni tumultus excitant; quas ob cauſas, plures in Anglia conſcribuntur milites, graviora vectigalia exiguntur. Regina igitur iniquum arbitrata exteris ſublevandis regnum opprimere, præſertim cùm ſuæ res tantam vim hominum & nummorum poſtularent; Thomam Bodleium in Belgium miſit, ut ea omnia Provinciis repræſentaret. Ordines eo tempore magnis urgebantur incommodis: claſſe enim contra Hiſpanos armandâ, numeroſo exercitu alendo, oppidiſque communiendis, ærarium vehementer exhauſerant. Calamitates auxit inſolita Aquarum inundatio (quæ damna graviſſima attulit,) & hoſtis adhuc eorum finibus imminens. Hæc incommoda difficilem legationem fecêre; præſertim cum Regina (ex conventu) copias ſuſtentare, hi non ante bellum conſummatum perſolvere debita tenerentur. Bodleius autem, magnâ vi eloquentiæ, commemoravit Reginæ benevolentiam, oſtendit quàm periculoſa eſſet illius offenſio; tandemque Ordines ad conditiones perduxit, anguſtiis Anglorum in primis opportunas: [b] Ut milites Anglicanos, ſi eos vellent diutius retinere, ſuis ſumptibus alerent; viginti millia librarum ad aliquot annos perſolverent; poſt pacem confectam, centum millia librarum in quadriennium quotannis numerarent. Harum rerum teſtem habeo iſtius legationis Hiſtoriam, quam Bodleius ipſe contexuit; brevem eam, ſed accuratè & eleganter ſcriptam.

Ad Ordines Belgii mittitur.

E Belgio revertitur. 1597. æt. 53.

Quibus hunc in modum compoſitis, domum rediit, ad Belgas non iterum reverſurus. Annos jam duodecim fidem ſuam diligentiámque in gerendis negotiis Reginæ probâſſet; Regina ſuæ erga Bodleium voluntatis teſtimonia plurima edidiſſet. Ut mirari poſſemus, hujus erga rempublicam merita nullo fuiſſe proemio publicè remunerata; niſi conſtaret, ei obſtitiſſe officioſam nimis amicorum diligentiam.

De ejus Amicitiâ, Burleighi, & Eſſexii contentione.

Rem totam paucis accipe. [c] A quo tempore ſeſe tradidit Reipublicæ, neminem ſibi benigniorem expertus eſt quàm Baronem Burleighum Theſaurarium. Adeo ut ille Reginæ dicere ſoleret, non poſſe quenquam per Angliam reperiri, qui Secretarii Officium tam lautè adminiſtraret: quod ex ipsâ Reginâ aliiſque adſtantibus cognovit. Theſaurarii etiam filius certiorem fecit, quòd cum Pater ſe illi muneri deſtinâſſet, hunc ſocium adjungere conſtituit. Quod etiam proculdubiò feciſſet; niſi Comes Eſſexiæ (homo ambitioſus, *Burleighorumque*, patris & filii, hoſtis acerrimus) gloriæ Bodleianæ immodicè faviſſet. Bodleius enim ſpem omnium fortunarum in unico Burleigho collocavit; qui cùm apud Reginam plurimum potuit, tum ſuæ erga Bodleium benevolentiæ clariſſima teſtimonia dediſſet. Hanc rem acerbè tulit Eſſexius; & Bodleii animum à Burleigho abſtrahere, ſibi beneficiis devincire, magnoperè ſtuduit. Dum Hagæ-Comitis erat, literis eum appellavit amicitiæ plenis: reverſum ſummo ſtudio & humanitate excepit. Apud Reginam multa ſæpe de illo honorificè prædicavit; vehementer etiam laboravit, ut ei munus Secretarii deferretur; & acerbas in Burleighi filium contumelias jecit. Illa verò, cognito hominis ardore ac temeritate, ejus commendatione parùm movebatur; præſertim cùm hæc omnia ex odio in Theſaurarium profecta animadvertit. Imò, tantùm abfuit quò minus quicquam prodeſſet illius importunitas; ut Reginam, in Bodleium anteà propenſiſſimam, ab eo paulatim alienaret. Cùmque tanta in Comite benevolentiæ ſignificatio, aliqua gratitudinis indicia à Bodleio poſtularent; ea Burleighus ita interpretabatur, quaſi Eſſexii blanditiis ad illius partes tuendas traheretur. Tam vehemens autem fuit inter eos honoris contentio, ut alter alterius conſilia in omnibus evertere conaretur. Ita Bodleius utriuſque ſtudioſus, in hoc quaſi bello domeſtico concidit; & officiis amicorum oppreſſus, ſpem omnem abjecit Dignitatis potiundæ.

---

[a] *Vita* Commentar. [b] Camd. Eliz. An. 1595. [c] Commentar. *Vitæ.*

Quibus perfectis, & de Comite & de ſeipſo hæc ſæpiùs cum animo cogitavit. *De Comite*; “ Reginæ erga illum ſtudium frigeſcere indies, ejus inimicitias “ cum magnatibus quotidie creſcere, “ omnia verò illius conſilia adeò levia “ eſſe & immatura, ut neque ſibi neque “ amicis magnoperè prodeſſent. Ad hæc, “ cum Burleigho contentiones (Bodleii “ rebus in primis pernicioſas) graviores “ eſſe quàm ut ullâ poſſent diuturnitate “ leniri. *De ſe*; “ Nihil eſſe animo ſuo “ alienius, quàm in partes deſcendere; “ ſenectutem jam appropinquare; neque, communi curſu naturæ, uſuram “ vitæ diu expectandam: ſibi mediocres “ facultates eſſe; quibus contentus, vitam “ placidè ac jucundè peragerет.

Recedit à Republicâ 1597. æt. 53.

Hæc cùm ſeriò ſecùm cogitâſſet, tandem ſtatuit à Republicâ recedere; ad quam poſteà neque precibus neque pretio potuit revocari. Imò, etſi Regina ipſa ſolicitavit illius reditum ad publica negotia, noluit à propoſito divelli. Secretarius etiam Cecilius (nomine Jacobi Regis, à quo Bodleius Miles factus eſt) ſæpius eum rogavit, ut legatione in Galliam fungeretur, ut in ſanctione fœderis inter Hiſpaniam & Ordines Belgii, Regis perſonam ſuſtineret; ut alia denique munera honorifica obiret. Hæc autem omnia modeſtè recuſavit; otio quod ſibi propoſuerat, pertinaciter adhærens. Idem Cecilius (cui olim perfidiæ ſuſpectus eſt, propter familiaritatem Eſſexii) de ejus tandem probitate perſuaſus, magnoperè hortabatur ut Secretarii munus ſuſciperet; ſéque curaturum promiſit, ut in Regis Concilium ſtatim cooptaretur. Et ne propter Facultatum tenuitatem tam ſplendidum Officium detrectaret, pollicitus eſt ſe cum Rege acturum de fortunis illius augendis, quò muneris amplitudinem commodiùs tueretur. Hujus precibus oppoſuit ſenectutem ingruentem, infirmitates corporis, & ſuavitatem ſui receſsûs, quem omnibus honoribus anteponendum duxit.

Statuit Bibliothecam Oxonii inſtaurare. 1597. æt. 53.

Poſtquam verò conſtituiſſet, publicam Oxonii Bibliothecam inſtaurare; ſuam in negando pertinaciam reprehendit. Non quaſi fori ſtrepitum ſolitudini præferret, aut ſordidâ lucri cupiditate moveretur; ſed quia re familiari quæſtuoſis muneribus auctâ, pietatem erga Matrem Academiam & ſtudium erga bonas literas uberiùs demonſtrare potuiſſet. Etſi enim ſeſe ſubduxit ex hominum concurſu, ut ſuo animo liberius obſequeretur; negotiis tamen tam diu aſſuetus, non potuit otio inerti ac deſidioſo langueſcere. Melius etiam boni civis officium intellexit, quàm ut crederet cuiquam licere, publicâ utilitate neglectâ, ſuæ inertiæ ac voluptatibus indulgere.

Quam ergo vivendi rationem eligeret, ut Dei maximè gloriæ, ſuæ ætati, patriæque commodis conſuleret, diu deliberavit. In hanc tandem ſententiam ivit, non poſſe ſe de patriâ, literis, ac Religione meliùs mereri, quàm ſi Bibliothecam Oxonienſem, tunc miſerè deſertam, reficeret & librariâ ſupellectile inſtrueret. Quod opus, paucis hominibus aggrediendum, ſuæ conditioni ſatis idoneum videbatur: quippe quarum rerum auxilio perfici commodè poſſet, eas omnes vel egregiè vel ſaltem mediocriter habebat. Nam in eo fuit aviditas quædam omnis generis literaturæ, magna varietas eruditionis, linguarum tam veterum quam recentium cognitio multa, librorum notitia accurata. Quibus accedant, ſatis lauta ſine liberis hæreditas, otii abundantia, & multitudo amicorum potentium, qui tam pio incœpto opibus auxilium, eminentiâ auctoritatem præberent. Hæc autem quò rariùs in eundem hominem cadunt; eò majores gratiæ Deo Opt. Max. agendæ, qui Virum illis omnibus prædìtum, tanto erga literas amore, tantâque erga Matrem Academiam pietate imbuit.

Opus inſtitutum magnâ diligentiâ perſecutus eſt; perfectum legibus prudentiſſimis munivit. Vivens perpetuo auxit, ante mortem amplis reditibus locupletavit.

Ejus induſtria in Bibliothecâ reficiendâ.

Quibus autem gradibus à primâ inſtitutione ad hanc amplitudinem pervenerit, fuſiùs dicemus in *Hiſtoria Bibliothecæ Bodleianæ*, quam ſeparatim ſcribere inſtituimus. Illa autem *Vita* Bodleianæ Hiſtoriam abſolvet; quoniam totos quindecim annos, qui ex vitâ ſuperſunt, adornandæ Bibliothecæ dicavit. Cui negotio ita fuit intentus, ut in [a] Epiſtolâ quadam ſcripſerit, ſe vitam longiorem haud aliter cupere, quàm ut opus inchoatum feliciter conſummaret. In [b] aliâ verò, ſe nullâ re adduci potuiſſe, ut relicto rure Londini viveret, niſi illud ſuæ Bibliothecæ negotium poſtulâſſet.

Quicquid moriens habuit, illud omne Academiæ reliquit; poſt ſoluta debita, Legata ſatis ampla, & impenſas funebres. Inter Legata, marcas ducentas Collegio Mertonenſi dedit: ſumptibus Funeris DCLXVI. libras, XIII. ſolidos, & IV. denarios aſſignavit.

Vitæ ratio.

[c] De *Lithiaſi* ſemel atque iterum in epiſtolis queritur: aliàs firmâ ſatis valetudine fuiſſe videtur. In ejus vitâ plus elegantiæ quàm ſplendoris erat. Suam dignitatem ſuſtentavit probitate ac prudentiâ; non oſtentatione opum, aut amicorum potentiâ. Publica negotia ita adminiſtravit, ut privata ſtudia nunquam dimiſerit. Rempublicam, ad quam ſerò acceſſit, maturè & (quæ rara felicitas) integrâ exiſtimatione reliquit.

Moritur.

Ita, cùm annos ſeptem & ſexaginta vixiſſet, Londini mortuus eſt die XXVIII. menſis Januarii, Anno MDCXII. Dum ægrotavit, Vice-Cancellarius, Ædium Præfecti, & Procuratores, literas ad eum miſêre, in quibus ſignificârunt quanto dolore afficerentur ex adverſâ illius valetudine.

Sepulturæ ratio.

Poſtquam mortem obiiſſet, Academici diem XXIX. Martii menſis Funeri aſſignavêre, ſimúlque in Convocatione deliberârunt de Pompâ Funebri. Ea breviter hujuſmodi fuit. Paucis diebus ante tempus ſepulturæ, corpus ejus à Londino ſplendidè deportatum, in Refectorio Collegii Mertonenſis collocârunt. Honoris causâ, interfuêre Feciales tres; quorum primus erat *Gulielmus Camdenus* Clarentius. Funus etiam adornârunt pauperiores Academici ſexaginta ſeptem (numerus ille Bodleii annis reſpondet,) qui pullo veſtitu ex teſtamento donabantur. Die præſtituto, Vice-Cancellarius, Ædium præfecti, & Procuratores, cum Togatis innumeris, Funus deduxêre à Collegio Mertonenſi, primùm per *Ædem Chriſti* ad Quadrivium; inde ad Divæ Mariæ Templum; poſtremò ad Scholam Theologicam. Ibi laudes ejus & egregia in Rempublicam literariam merita celebravit publicus Orator. Revecto corpore ad Divæ Mariæ templum (ubi *κενοτάφιον* fuit erectum) Concionem habuit *Gulielmus Goodwin* S. T. P. Ædis Chriſti Decanus. Quâ finitâ, progreſſi ſunt ad Eccleſiam Mertonenſem; in cujus Chori parte ſuperiore ſepultus eſt. In margine Tumuli laudationem Funebrem habuit *Joannes Hales* Collegii Socius.

Editi Carminum Libri.

Academia dolorem ſuum & gratitudinem, edito Carminum Volumine oſtendit: quod genus honoris non cuiquam ferè niſi Principibus decernitur. Ejus memoriæ idem præſtitit Collegium Mertonenſe.

Solennis Oratio.

Noſtrâ etiam ætate, *Joannes Morris* S. T. P. & Ædis Chriſti Canonicus, legavit Academiæ annuas quinque libras, ſolvendas Magiſtro in Artibus qui octavo die Novembris *Bodleii* laudes ſolenni oratione prædicet.

Anno Domini MDCV. hoc eſt, ante mortem ſeptimo, *Thomas Sackvillus* Academiæ Cancellarius, Bodleio ſtatuam poſuit, quæ hodiè in Bibliothecâ conſpicitur. Sub eâ ſcribuntur hæc verba:

THOMAS SACKVILLUS DORSET. COM.
SUMMUS ANGLIÆ THESAURAR.
HUJUS ACAD. CANCEL.
THOMÆ BODLEIO EQUITI AURATO
QUI BIBLIOTH. HANC INSTITUIT
HONORIS CAUSA P.P.

Monumentum ejus in Eccleſiâ Mertonenſi, Virum Togatum uſque ad umbilicum, Libris undique circumfuſum, repræſentat. Inſcriptio Monumenti hæc eſt:

MEMORIÆ
THOMÆ BODLEY MILITIS,
PUBLICÆ BIBLIOTHECÆ
FUNDATORIS, SACRUM.
OBIIT XXVIII. JAN. MDCXII.

[a] Epiſt. MS. 153. [b] Ep. 148.



HISTORIA Bibliothecæ Bodleianæ OXONII.

ETSI *Bibliothecæ Bodleianæ* Hiſtoriam ſcribenti, ſatis ſit ad primam ejus inſtitutionem deſcendere, quia tamen ante illud tempus Academia publicas Bibliothecas habuit, ſi has quoque leviter attingamus, nec Lectori ingratum, nec propoſito noſtro alienum erit. In quibus deſcribendis, ſequemur præcipuè auctoritatem *Antonii a Wood*, qui excuſſis omnibus Chartis & Inſtrumentis, *Antiquitates Oxonienſes* diligenter ſcripſit. Prætermittemus autem ætates obſcuriores (cùm Togati Libros quidem publicos, ſed nullam Bibliothecæ faciem habuerunt) & ab eo tempore ordiemur, quo primùm fundatam Bibliothecam indubia teſtimonia oſtendunt.

Bibl. Angervylli. I. Hen. IV. regnante, erecta eſt *Bibliotheca Publica* in eo Collegio quod circa annum 1290. Monachi Dunelmenſes inſtituerant, ad juventutem ſui Ordinis erudiendam. Hanc autem, etſi intra ædes privatas conſtructam, idcircò *Publicam* appello, quoniam huc tranſtulère Libros *Ricardi de Bury* (aliàs Angervyll) Epiſcopi Dunelmenſis; qui eos Monachis moriens legavit, hac conditione interpoſitâ, ut toti Academiæ paterent. Uſûs itaque publici fuerunt: donec everſo Collegio tempore Henrici VIII. diſſipata eſt Libraria ſupellex; quæ tota ferè ad Bibliothecam Ducis Humfredi & Baliolenſe Collegium devenit.

Bibl. Cobhami. II. Circa Annum 1320. *Thomas Cobbam* Epiſcopus Wigornienſis, cœpit Bibliothecam conſtruere ſupra veterem *Congregationis* Domum; quæ tum fuit in Septentrionali Cœmiterio Eccleſiæ Virginis Mariæ. Ejus autem morte & aliis incommodis factum eſt, ut ante annum 1367. libris recipiendis non eſſet idonea, nec abſoluta & Codicibus inſtructa ante annum 1411. Libris & aliis ornamentis crevit præcipue munificentiâ dicti *Cobhami* Fundatoris, Henrici IV. & filiorum ejus *Henrici*, *Thomæ*, *Johannis*, & *Humfredi*; *Thomæ Arundel* Archiepiſcopi Cantuarienſis, *Philippi Repyngdon* Epiſcopi Lincolnienſis, *Edmundi* Marchiæ Comitis, & Ricardi *Courtney* Univerſitatis Cancellarii. Ad annum tantùm 1480. in eo ſtatu permanſit: tunc enim Libri omnes ad Humfredi Ducis Bibliothecam transferebantur.

III. Sub annum 1427. ſupra Scholam Theologiæ, novam inſtituit Academia Bibliothecam. Ea duplicem ob cauſam, ab *Humfredo* Duce Gloceſtrenſi, *Humfrediana* dicta eſt; partim quia multum ille pecuniæ in ædificium contulit, præſertim verò quòd magnâ vi Librorum locupletavit. Variis enim temporibus ſexcentos Tractatus Academiæ donavit; quorum centum & viginti, primùm dati, mille libris æſtimabantur. Supellectile Cobhamianâ eò perlatâ, & *Humfredi* aliorúmque libris ordine diſpoſitis, anno Domini 1480. Bibliothecam aperuerunt. Anteà verò quàm annos octoginta floruiſſet, periit in communi naufragio literarum, quod attulit temporum iniquitas. Illa ruina quàm gravis erat, quámque bonis literis pernicioſa, paulò uberiùs explicabimus; ut meliùs intelligatur quantum debemus *Thomæ Bodleio*, qui ad rudem planè molem acceſſit, hodiernæ amplitudinis fundamenta poſiturus. *Bibl. Humfredi Ducis.*

Visitatio Acad. Oxon.

[a] Sub initia Edwardi VI. certi homines delegati sunt visitandæ Universitati Oxoniensi, præsertim verò Academiæ. Octo fuere numero; quibus *conjunctim* (ut loquuntur) & *sigillatim* concessa est licentia, potestatem Visitatoriam exercendi. Mandatorum Capita breviter hæc erant: Academiam Papismo purgare, Eruditionem in eâ stabilire, Eruditos fovere. Quâ fide primum præstiterint, nihil pertinet ad nostrum institutum dicere; certè reliqua duo non nimis diligenter observârunt: nisi illi literas & literatos tueantur, qui otia studiosorum turbant, sedulam juventutem ab Academiâ terrent, diripiunt Bibliothecas, libros comburunt. Privatis enim commodis nonnulli, odio in literas alii, pars autem maxima zelo intemperato præcipitati; in ruinam hujus Academiæ conspirarunt. Nam quid aliud est, ad usus privatos publica stipendia convertere, Privilegia auferre, conculcare Statuta, Disputationes abrogare, Scholas in hortos convertere, Gradus (quibus pax & disciplina Academiæ maximè conservantur) tanquam Antichristianos extinguere? Quibus calamitatibus ita fracti sunt Studiosorum animi, ut multi (libris relictis) ad viles professiones diverterint, nulli verò Academiam advenerint. Mitto reliqua, ad libros & *Bibliothecas* rediturus; quæ apud exteras etiam gentes miserè tractatæ sunt ab illo hominum genere fanatico.

Anabaptistæ sævierunt in Bibliothecas.

Testis est [b] *Petrus Plateanus*, qui de his rebus loquens, *Libros* (inquit) *omnes exurunt, indignantes se ab alio quam ab ipso suo spiritu doctor videri. Miserum est cernere Bibliothecas non ignobiles ab execrandâ sectâ hoc modo aboleri.* [b] Antonius item Corvinus: *Anabaptistarum furor optimos quosque Auctores ac vetustissima venerandæ Antiquitatis exemplaria absumpserunt in Bibliothecâ Osnaburgensi.* Et [c] Joannes Balæus Anglus, *Anabaptistæ*, inquit, *nostrorum temporum*, *genus hominum arrogans supra modum, insolens, & indoctum, flammis committunt libros veteres, quoscunque possunt invenire.*

Bibliothecarum Visitatio.

Quanta Librorum strages consecuta est Monasteriorum Dissolutionem regnante Henrico VIII. & idem *Balæus* ostendit & omnes intelligunt qui in Historiis nostris mediocriter versantur. Sub Edwardo VI. idem Religiosus furor Bibliothecas hujus Academiæ invasit; consilio quorundam hominum, qui (ne quicquam Superstitionis remaneret) ipsam Eruditionem extirpandam arbitrabantur. Cùm enim iis mandatum esset, Papalem prorsùs pravitatem extinguere; putârunt sese officio defuturos, nisi libros etiam *Papisticos* tollerent. Illi autem Viri diserti in hoc numero posuêre *Patres antiquos*, opera *Petri Lombardi, Thomæ Aquinatis, Scoti, & Scholasticorum*: quotquot etiam Codices illustrati sunt Commentariis Pontificiorum, aut rubris literis in fronte adornati. Qui verò lineas, circulos, aut alias figuras continerent (hoc est, rem *Mathematicam, Astronomicam*, &c. tractarent) tanquam artis magicæ reos flammis committendos duxêre. Sub hoc Religionis prætextu, purgarunt Bibliothecas, *Balliolensem, Mertonensem, Lincolniensem*; aliasque ad privata Collegia pertinentes: quarum Libri vel combusti sunt, vel attriti, vel usibus vilissimis addicti. Magnos etenim acervos, in feretris ad publicum forum deportatos, flammis tradidêre: & Joannes Balæus affirmat, se Propolam novisse, qui duas Bibliothecas quadraginta solidis emit; cùmque toto decennio libris usus fuisset chartæ emporeticæ loco, dimidiam eorum partem superfuisse. Hæc sævitia in libros & literatos adhibita, origo fuit miserabilis ignorantiæ quæ annis sequentibus Angliam occupavit. Neque mirari possumus, [d] Pueros etiam, quamlibet rudes literarum, si possent Missam quovis modo celebrare, ad Ministerium (regnante Mariâ) consecratos: aut initio Reginæ Elizabethæ, [e] præceptum esse Ministris in legendo minùs peritis, ut ante incoepta divina Officia, Capitula & Homilias diligenter perlegerent; quò in Ecclesiâ eorum lectio commodiùs intelligeretur.

Publicæ Bibliothecæ vastatio.

Cum privatis, *Publicam* etiam *Bibliothecam* diripuerunt, divite Librorum supellectile instructam. [f] De quibus habitâ Inquisitione sub Mariâ Reginâ, ne unus quidem comparuit præter *Valerium Maximum*. Detracto hunc in modum apparatu, ipsa Bibliotheca sordidissimis usibus addicta est: & anno 1555. cùm nulla spes esset eam in pristinum statum restituendi, Academici (habitâ Convocatione) vendenda subsellia censuêre.

Bodleius Bibliothecam instituit.

Hæc tristis conditio loci, cum *Bodleius* (doctus experientiâ quantum inopia Bibliothecæ studiis adolescentium obesset) suum propositum significavit per literas ad Vice-Cancellarium scriptas. In illis tanquam beneficium petit, ut suum consilium Academia probet; opus suis sumptibus perficere pollicetur. Literæ in Convocatione recitatæ placent supra modum Togatis, qui *Bodleio* ad unum assentiuntur. Brevi posteà, missâ ad eum Epistolâ gratiarum & officii plenâ, tanto beneficio æternam memoriam spondent. Ille sequenti Paschate, ad lustrandam veterem Bibliothecam, Oxonium pervenit; & imaginem effinxit operis deſignati. In quo promovendo quàm diligens fuit, ex illius Epiſtolis diſcimus; quarum volumen integrum in Bibliothecà Bodleianà reponitur.

---

[a] Langbani Præfatio ad librum D. Joannis *Cheeke*, contra Rebelles. Wood, Antiquitat. pag. 168. l. 1. [b] Libb. contra Anabaptistas. [c] Declarat. in Itinerarium Lelandi. [d] Elizabeth. Injunct. 43. [e] Elizabeth. Injunct. 53. [f] Wood, Antiquitates, p. 50. l. 2. Langb. Præf. ad D. Jo. *Cheeke*.

Bodleii induſtria in Libris comparandis.

[a] Biennii ſpatio, Librorum repoſitoria ſatis commodè collocâſſet; ideóque ad libros comparandos, omnes protinùs cogitationes convertit. Cui operæ dum ipſe ſedulò Londini incubuit; *Thomam Jameſium*, magnæ eruditionis ſummæque diligentiæ virum, ſibi ſocium laboris adjunxit. Negotium ei dedit, ut libros Oxonium miſſos in Bibliothecà diſponeret. Eundem ad Academiam Cantabrigiæ miſit, ut ibi Bibliothecarum formam atque ordinem diligenter obſervaret. Ipſe intereà omnes Catalogos evolvit; ſuas facultates in Codices & impreſſos & manuſcriptos liberè profundit; doctorum & divitum auxilium ſolicitat. Ea autem erat *Bodleii* gratia, ea operis dignitas, ut quotidie ferè aliquid ſive Librorum ſive pecuniarum ad augendam Bibliothecam conferretur. Hoc luculentè teſtantur Benefactorum Nomina, quæ Bodleius (ne quenquam debità laude fraudaret) [b] in ſcripta referri juſſit; quæque hodie oculis omnium in ipſa Bibliotheca patent. [c] Si quis verò largiùs daret, rem ſtatim Academiæ ſignificavit; rogans, ut ad eum publicæ gratiæ quamprimùm mitterentur. [d] Joannem *Billium* Bibliopolam, in Galliam, Italiam, Germaniam, & Hiſpaniam miſit, ad libros rariores emendos. Ne Orientales deeſſent, [e] juvenem harum linguarum peritum in Turcicas Regiones mittere conſtituiſſe, Epiſtolæ oſtendunt. Ex eiſdem intelligimus, [f] juvenem alterum in Hiſpaniam deſtinaſſe: [g] nam *Billio* (quem eò pridem miſerat) multa obſtitère, quò minùs negotium commode expediret. Illis mandat, ut poſthabitis nugatoriis levibúſque Auctoribus, graves & probatos emant, præſertim antiquos: quo modo ſeſe putavit literarum commodis optimè conſulturum. [h] Jameſio etiam ſeverè vetuit, ullas recentium Comœdias admittere: ne laſcivià abundantes juventutem corrumperent; néque Bibliotheca ejuſmodi nugis ſuffarcinata, expectationi hominum minùs ſatisfaceret.

Bibliotheca aperitur.

Hujus ſumptibus & aliorum munificentià, ditata eſt Bibliotheca, intra ſeptennium, bis mille Voluminibus. Quibus ordine diſpoſitis, *Bodleio* viſum eſt, illam Academicis patefacere: adeóque octavo die Novembris, An. MDCII. Vice-Cancellarius, Ædium Præfecti, Doctores, & Procuratores, bonis literis & uſibus Studioſorum ſolenniter dedicârunt.

Bodleii erga Benefactores, Academiæ erga Bodleium gratitudinem, his verbis demonſtrat libri Titulus, qui nomina Benefactorum continet.

Munificentiſſimis atque optimis cujuſvis Ordinis, Dignitatis, Sexus, qui Bibliothecam hanc Libris aut pecuniis numeratis ad Libros coemendos, aliove quovis genere ampliarunt, Thomas Bodleius, *Eques Auratus, Honorarium hoc Volumen, in quod hujuſcemodi donationes, ſimulque nomina donantium ſigillatim referuntur, Pietatis, Memoriæ, Virtutiſque cauſa Dedit, Dedicavit.*

Is etiam eſt qui hoc totum, quicquid hic ſpectatur concamerationis feneſtrarum, capſularum, armariorum, ſubſelliorum, pluteorum, tabulationis, ſubſtructionis, catenularum, atque omnium ornamentorum, operumque fabrilium, ſuo ſumptu libens fecit. Ipſam quoque Bibliothecam perpetuo quodam cenſu, cum ad alias cujuſquemodi impenſas in eam faciendas, tum ad hoc vel maxime, ut ex iis ſemper ſuppetat ad Cuſtodem remunerandum, & ad Codices concinnandos, commutandos, catenandos, reficiendos, acquirendos etiam, ſi uſus fuerit, donavit. Libros item quamplurimos ære ſuo conquiſitos, & in omni ſcientiarum linguarumque genere perinſignes, in ea collocavit: quorum tamen hic nuſquam σύλλαβοι *exhibuit, quod adhuc ſecum conſtituit, plures indies, quoad vixerit, ibidem reponere: necnon alia quædam non exigui momenti perficere, quo ardorem ſui amoris erga ſtudia doctrinarum atque omnium gentium florentiſſimam Academiam Oxonienſem luculentius oſtendat.*

---

[a] Wood, Antiquitat. pag. 50. l. 2. [b] Epiſt. MS. 32. [c] Sæpius in Epiſtolarum Volumine. [d] Ep. 44. 67, 71, 193, &c. [e] Epiſt. 72. [f] Ibid. [g] Epiſt. 107. [h] Epiſt. 173.

Summa Bodleii diligentia.

Intereà *Bodleius* plurima molitus eſt, quæ ad diuturnitatem operis perfecti, & Bibliothecæ utilitatem magnoperè pertinerent.

1. Deliberatione habitâ cùm Academicis, ad commodiorem Bibliothecæ adminiſtrationem Statuta confecit; in quibus ejus prudentia & ſtudium egra bonas literas clariſſimè elucent. Ita quippe temperantur, ut neque *Libris* facilitas aditûs, neque *Studioſis* nimia difficultas detrimentum afferat. Exteris autem ſpeciatim indulſit veniam Bibliothecæ ingrediendæ; *quò ſtudia* (verba Statuti ſunt) *in qualibet ſcientiâ felicius promoverentur*. Ex hoc etiam apparet, quantoperè ſolicitus eſt ut ſua Inſtitutio literis plurimùm prodeſſet; [a] quòd in Epiſtolâ quâdam *Thomam Jameſium* acerbè reprehendit, quia inter Vigilias Sancti Thomæ & diem tertium Januarii non aperuiſſet Bibliothecam.

2. Quia ſine annuis reditibus neque augeri poſſunt neque conſervari Bibliothecæ; à Rege Jacobo *Diſpenſationem* obtinuit, quâ licentia Academiæ conceditur, *Terras* & *hæreditamenta* recipiendi, non obſtante Statuto de *Mortuâ Manu*. In ejus Inſtrumenti Præfatione, decretum eſt à Rege, ut ædificium illud in perpetuum appelletur *Bibliotheca ex fundatione Thomæ Bodley Militis, in Univerſitate Oxon.*

3. Bibliothecarium, Hypo-bibliothecarium, & Janitorem conſtituit, iiſque honeſta ſalaria aſſignavit ex prœdiis quibuſdam, dictæ Diſpenſationis virtute Univerſitati tranſcriptis. Quibus *Curatores* quartum nuper addiderunt; cujus diligentia & ſingularis librorum notitia, ſunt plurimum profuturæ tum Bibliothecæ tum Reipublicæ literariæ.

4. Certum pecuniæ numerum, ad libros quotannis emendos reficiendoſque, Bibliothecæ donavit.

5. Curatores nominavit, Vice-Cancellarium, & Procuratores; cum Profeſſoribus trium Facultatum, ac Linguarum Græcæ & Hebraicæ: qui octavo die Novembris, in ſtatum & conditionem Bibliothecæ quotannis inquirerent.

6. Ne quicquam deeſſet quod Oxonienſium ſtudia juvaret; cum *Thomâ Jameſio* egit de Catalogo Librorum conficiendo; qui poſteà ſuis ſumptibus impreſſus, in publicum prodiit Anno Domini 1605.

7. Cum Sodalitio Bibliopolarum Londinenſium pactus eſt, ut cujuſlibet libri (ab eorum aliquo impreſſi) exemplar unum ad ſuam Bibliothecam tranſmitterent.

Quibus inſtitutis, Bibliotheca (ultra infantiam provecta, tam egregiè etiam dotata) ſponte augeſcere & quaſi ſeipſam poſſe ſuſtentare videbatur: Parens etiam, dimiſſâ illius curâ, magnâ cum gloriâ ſuam fovere ſenectutem potuiſſet. Ille vero de priſtinâ diligentiâ nihil remittens, libros quibus Academia caruit, ſedulò conquiſivit; multos alii magno ſtudio contulerunt.

In primis verò memoranda eſt *Eccleſia Exonienſis*, cujus Decanus & Capitulum Tractatus MSS. centum & triginta duos ad hanc Bibliothecam tranſmiſere, quò eſſent viris literatis utiliores. Eccleſia etiam Windſorienſis magnum numerum Manuſcriptorum eodem conſilio donavit.

Augetur Bibliotheca à parte Orientali.

Poſt octo annos quàm Bibliothecam aperuerat; ita creviſſet Librorum numerus, ut eos antiqua mœnia capere non poſſent. Quapropter ſuum conſilium de Bibliothecâ à parte Orientali augendâ, Vice-Cancellario per literas ſignificavit. Cujus ædificandi rationem [b] *Oxonienſes Antiquitates* his verbis tradunt: *Propoſitum Bibliothecæ additamentum lætiſſimi amplexabantur Academici; atque adeo* XIX. *Julii ſequentis, horâ* x. *matutinâ, in angulo altero fundamenti ſeptentrionali poſitus eſt, ſecundum antiquitùs obtinentem conſuetudinem, primus Lapis, habitâ nimirum prius oratione, & pecuniâ ſuper eodem oblatâ, præſentibus Doctore* Kyng *Vice-Cancellario, cum Doctoribus purpurâ indutis, utroque Procuratore, artiumque Magiſtris haud paucis. Quid moras duco? abſoluti tandem operis pars ſuperior Bibliothecæ acceſſit; inferior verò Scholæ Theologicæ tanquam Proſcholium eſt, quo in loco ſe ſiſtunt Academici pro gradu aliquo vel munere ſupplicantes. Cæterùm cùm diem prius obiret* Bodleius *quàm ſuſceptum abſolveret opus, lateri ejus orientali verba hæc in perpetuam Illuſtriſſimi Fundatoris memoriam, characteribus deauratis delineanda curavit Univerſitas:*

QUOD FELICITER
VORTAT, ACADEMICI OXONIENS.
BIBLIOTHECAM
HANC VOBIS REIPUBLICÆQUE
LITERATORUM
T. B. P.

Scholæ ædificatæ.

Anno proximè ſequenti, de *Scholis* (quas hodie videmus) ædificandis, Academici cogitare cœperunt; quò Orientali Bibliothecæ parti additis tribus lateribus, amplum fieret atque elegans Quadrangulum. Has illi ad ſecundam ſolùm contignationem excitare decreverant: tertiam ſuperſtruere hortabatur *Bodleius*, quæ duplici aditu Bibliothecæ adjuncta, futuris temporibus Librorum incrementa reciperet. Quam ad rem, magnam vim nummorum Academiæ reliquit: cúmque ab eo ædificio multum pecuniæ ſuperfuturum prævidit; Teſtamento juſſit, ut illud collocarent in ampliando Occidentali latere Bibliothecæ. Quâ in parte, ſuprema ejus mandata curavit Academia.

---

[a] Epiſt. 144. [b] Pag. 51. lib. 2.

Roe.

Ut enim, vivente Bodleio, Divitum munificentia magnas acceſſiones Bibliothecæ attulit; ita eo vitâ defuncto, literarum & Oxonienſium amor plurimos ad liberalitatem excitavit. Ad Codices MSS. quod attinet, *Thomas Roe* Eques Auratus (apud Turcarum Imperatorem Regis Orator, & poſtea An. 1640. unà cum Cl. *Seldeno* Academiæ Burgenſis) multos Bibliothecæ donavit. De reliquis benefactoribus hoc tantum addam, quòd Academia noſtra, ne in turpiſſimam ingratitudinem incurreret, eorum nomina poſteritati Religioſe tradit.

Bibliotheca augetur à parte Occidentali.

Poſt annos ferè viginti quàm Bodleius mortem obiiſſet; novum illud ædificium quod addiderat parti Orientali Bibliothecæ, libris penitùs repletum eſt. Plurimi etiam ſuperfuêre, quos inſtructa undique Bibliotheca recipere non potuit: adeóque Academici Anno 1632. de eâ ampliandâ conſilium inierunt. Rem totam ex [a] *Antiquitatibus Oxon.* apponam; ut & hujus ædificii ratio, & ſolennitas ponendi publicarum ædium fundamenta, meliùs intelligantur. *Delegati Teſtamentum* Bodlei *evolventes, in animo ſtatuiſſe eum reperiebant, latus alterum Bibliothecæ, quà Exonienſes ſpectat, adjicere; ut integrum ſcilicet Opus, quod, Orientali ſuo additamento ante obitum penè abſoluto, literam* T. *referebat, literæ* H. *conſimile fieret. Id ille non antè aggrediendum ſtatuerat quàm Tabulatum Scholis omnibus ſuperſtrueretur; quare cum & iſtâ ex parte nihil jam impedimenti occurreret, ad acceſſionem hanc moliendam eò ſe libentiùs convertunt Academici, quod domum inde Convocationis & Apodyterium conſecuturi eſſent. Subductis itaque calculis, pecuniæ è bonis ac latifundiis Bodleianis, pretio jam olim addictis, collectæ, non multum ſupereſſe deprehenderunt; ac proptereà ad fiſcum ſuum & Mecænatum (quos inter* D. Kenelmus Digbye, *qui* L. *Quercus donaſſe fertur) Benevolentiam confugientes, ad ædificium hoc novum ſeſe accingunt, in fundo partim ſuo, partim à Collegio Exonienſi coempto, erigendum. Dirutis quippe Gradibus, quibus in Occidentale Bibliothecæ latus perveniri olim ſolebat, Cochlidia bina ſecus oſtia Scholarum Medicinæ & Juriſprudentiæ extruebantur; atque decimo tertio Maii, Anno* MDCXXXIV. *circa horam octavam matutinam, ad Fabricam inchoandam ab Eccleſia B. Virginis ſolenniter proceſſerunt Vice-Cancellarius, Collegiorum & Aularum Præfecti, cum duobus Procuratoribus, diverſis Graduum inſignibus diſtincti. Poſtquam autem tibias inflârunt Cornicines, ſub auſpiciis Academicis eam artem exercentes & in Bibliothecæ jam tecto collocati; interpoſitis Cantorum Ædis Chriſti modulamine vocali, & Magiſtri* Herberti Pelham *è Collegio Magdalenenſi, Senioris Procuratoris, oratione ſolenni, ad Lapidem primum jaciendum in angulo altero auſtrali deſcendebat* Brianus Duppa *S. T. P. Ædis Chriſti Decanus, & Univerſitatis Vice-Cancellarius. Statim verò ac aurum de more obtulerat, in lacunam fundamentalem ex alterâ parte recidit egeſta terræ moles, lapſiſque repente pergulis, eodem corruunt Procuratores, cum Aularum Præfectis, Magiſtris quibuſdam & Baccalaureis, aliiſque nonnullis numerum centenarium complentibus, qui tamen incolumes ad unum evaſere, præter Collegii Exonienſis Promum inferiorem, & Scholarium alterum; quorum hic Brachium contuſum, ille verò humerum aut fractum habuit aut luxatum.*

Cæterum ſpreto omine, haud admodum infelici, in opere maturando perſtitêre Academici, quod quadriennii ſpatio abſolutum denique eſt. Hactenus Antiquitates prædictæ.

Multi anni non prætererant, antequam hoc etiam latus Bibliothecæ inſtrueretur. Triginta annorum ſpatio, quatuor Viros Providentia excitavit, qui inſigni ſtudio erga bonas literas atque hanc Academiam præditi, eam partem libris pulcherrimè adornârunt. Cujus rei Hiſtoria paulò fuſius tradenda eſt, propter ſummam hominum dignitatem, & donorum etiam amplitudinem; quódque Libri ſeparatim collocati, eorum hodie nominibus dignoſcuntur.

1. *Gulielmus Herbert* (Comes Pembrochienſis & Academiæ Cancellarius) per literas 29. Maii 1629. datas, certiores fecit Oxonienſes, ſe Codices quoſdam Græcos (omnes Manuſcriptos) à Venetiis deportatos, emiſſe: ſimúlque ſuum conſilium ſignificavit, eos Bibliothecæ donandi. Qui, quoniam ex Bibliothecâ Clariſſimi *Baroccii* prodierunt, ab eo *Libri Barocciani* appellantur. Librorum bonitatem & numerum, indicat Catalogus; Donantem oſtendit Inſcriptio, inauratis literis ſupra libros poſita: *Herbertus.*

Codices MSS. Græc.
Bibliothecæ Barroccianæ
Ex dono
GUIL. HERBERT
Comitis Pembroch.
Honoratiſſ. Acad. Cancell.
A.D. 1629.

---

[a] Pag. 32. lib. 2.

Digbeius. 2. *Kenelmus Digby* Eques Auratus dedit Academiæ Libros MSS. ducentos triginta tres, cum inſignibus Familiæ ſuæ affabrè admodùm compactos. [a] Plura Manuſcripta habuit, quibus donum illud augere conſtituerat: ſed temporum iniquitas prohibuit. In bellis enim Civilibus exul à patriâ fuit; ſéque in Galliam recipiens, eò tranſtulit Bibliothecam: quam etiam, Carolo reſtituto, ibi reliquit. Hæc, quia jus *ſubditi Naturalis* in Galliâ nunquam obtinuerat, eo mortuo in poſſeſſionem Regis Galliarum cecidit; & cuidam (ut videtur) Aulico donata, decem millibus *Coronatorum* dicitur veniiſſe.

Ejus erga nos munificentiam hæc Inſcriptio ſuper pluteos declarat:

Codices MSS. diverſi generis
Ex dono
KENELMI DIGBY
Equitis Aurati.
A.D. 1634

Laudus. 3. *Gulielmus Laud* Archiepiſcopus Cantuarienſis, Manuſcriptorum pluſquam millia & trecenta Bibliothecæ donavit. Ea variis temporibus dedit; ut ex Albo Benefactorum, & ſuis Epiſtolis conſtat. Anno 1639. quingentos & ſeptuaginta Codices ſimul tranſmiſit; quorum aliquos à Comite *Arundeliæ* accepit, ut illius literæ, Junii 28. datæ & cum libris miſſæ, teſtantur: *Ex his, Volumina non pauca, ſed illa Latina, mihi dono dedit Vir multis nominibus honorandus Comes Arundelius; quæ unà ſecum reduxit è Germaniâ; ubi & ego multa redemi blattis tineiſque mancipata.*

Quinetiam, ex aliis terrarum partibus varii generis Manuſcripta conquiſivit; eo animo, ut literarum commodis plurimùm conſuleret, ſuámque erga Matrem Academiam pietatem teſtaretur. Quam ſanè, inter alia, abundè oſtendunt literæ illius ad Academiam, ſtylo eleganti ſpiritúque virili ſcriptæ; amoris verò erga ſuos Oxonienſes pleniſſimæ. De quibus ita pulchrè meritus eſt, ut viventem loco Parentis colerent, ipſam mortui memoriam ſanctiſſimam habeant. Quanquam enim magna præſtitit; majora certè animo deſtinâſſet, ſi illa perficere per temporum iniquitatem licuiſſet.

Hujus munificentiam indicat Inſcriptio ſequens.

Codices MSS. P. M. MCCC.
Hebraici, Syriaci, Chaldaici, Ægyptiaci, Æthiopici, Armeniaci, Arabici, Perſici, Turcici, Ruſſiaci, Chinenſes, Japanenſes, Græci, Latini, Italici, Gallici, Saxonici, Anglici, Hibernici.

Ex dono
Reverendiſſimi in Chriſto Patris
D. GUIL. LAUD,
Cantuar. Archiepiſc. Academ. Oxon.
Honoratiſſimi Cancellarii.

Seldenus. 4. Muſæum amplum *Johannis Seldeni* Bibliothecæ Bodleianæ obtigit Anno Domini 1659. poſt illius mortem, quinto. Quæ cauſa fuit ut libris ejus careret per illud quinquennium Academia; quibúſque modis eos tandem conſecuta eſt, [b] *Oxonienſes Antiquitates* docent. *Ad Volumina autem* Seldeniana *quod attinet, fertur Vir eruditus eadem Bibliothecæ Bodleianæ jam olim deſtinâſſe; ob libros verò quoſdam Manuſcriptos mutuò petenti negatos (quâ tamen in re Statutis omninò obſecuti ſumus, quæ eorum aliquem è Bibliothecâ deportari vetant) ſententiam mutâſſe, ſuóſque Codices* Interioris Templi *Studentibus ex lege adſcripſiſſe, ut cum* Medii Templi *Studentibus, Bibliothecam iiſdem haud imparem, præſtituto tempore conſtruerent: aliter, licitum fore ſupremorum Mandatorum Curatoribus, libros illos publico cuicunque ſodalitio conſignare. Conditionem hanc poſtquam præſtare detrectabant Templarii, cum Executo-*

[a] Wood, *Athenæ Oxon.* in Vita *Kenelmi Digby*. [b] Pag. 53. lib. 2.

ribus Teſtamentariis transfegerunt Academicorum nonnulli (maximè autem Tho. Barlow, *Protobibliothecarius) & Bibliothecam Seldenianam certis quibuſdam Legibus impetrarunt, quam Londino in navigio actuario tranſmiſſam accepimus An.* 1659.

Quod ad Librorum *mutuationem* pertinet, nihil temerè affirmare auſim. Certè, conſtat ex Academiæ Regeſtis, quòd Anno 1654. *Johanni Seldeno* publicè conceſſum fuit, libros ex Bibliothecâ mutuari; his conditionibus, ut tres tantum ſimul haberet; utque ſingulos intra annum reſtituere, centum libris teneretur.

Ex ejus Bibliotheca pluſquam octo millia Voluminum accepimus: donum numero quidem commendatum, ſed multò magis ſingulari præſtantiâ librorum.

Munus illius deſignat inſcriptio ſequens:

Auctarium

Bibliothecæ Bodleianæ

E Muſæo

JOHANNIS SELDENI

Juriſconſulti.

Ejus verò Teſtamenti Curatorum egregia erga Academiam merita, Inſcriptio Tabulæ agnoſcit, in feneſtrarum Occidentalium altera ſuſpenſæ:

Bibliothecam

JOHANNIS SELDENI

Nitore ingenii, candore morum, præcellentia doctrinæ

Imparilis viri heic repoſitam

Johannes Vaughan, Mathæus Hale, Rolandus Jucks, Armigeri (quibus Teſtamenti ſui fidem mandavit) in duraturam tanti viri memoriam, & rei literariæ bonum ampliſſimæ huic Academiæ ſacratam voluere.

Effluxerant anni fere ſexaginta, ex quo primùm *Thomas Jameſius* ſuum Catalogum emiſit; ab editâ verò Appendice, triginta. Quo intervallo, tanta fuit librorum acceſſio, ut iſte Catalogus penè inutilis videretur; adeóque eruditi novum vehementer flagitarunt. Opus illud ſuſcepit *Thomas Hyde* Bibliothecarius, Anno Domini 1665. quod novennii ſpatio perfectum, in publicum prodiit anno 1674. Sed hunc etiam valde imperfectum fecerunt magna librorum incrementa, per viginta ampliùs annos: in quo ſpatio, Bibliotheca partim ſumptibus Academiæ partim aliorum munificentiâ, tanto numero librorum augetur, ut tum Exteri tum Academici novum Catalogum magnoperè deſiderent. *Novus Librorum Catalogus.*

Anno ante editum Catalogum, hoc eſt, 1673. *Tho. Fairfax* Baro de Cameron, moriens Bibliothecæ legavit Collectiones Antiquitatum D. *Rogeri Dodſworth*, 150. Voluminibus, cum 28. Codicibus Manuſcriptis varii generis. *Dodſworthus.*

Junius. Anno 1677. *Franciſcus Junius*, doctiſſimus ſenex, moriens Bibliothecæ donavit centum plus minus Codices MSS. *Saxonicos, Francicos, Gothicos, Teutonicos,* aliiſque Linguis ſeptentrionalibus ſcriptos.

Sequente anno, *Robertus Huntingdon*, Mercatoribus Anglis in urbe Halebenſi à Sacris, Codices Orientales ſatis multos & manu etiam ſcriptos, Bibliothecæ dedit. Eos poſteà, annis 1680. & 1683. duplici munere auxit. *Huntingdon.*

Poſt ſeptem annos, *Thomas Marſhall*, Collegii Lincolnienſis Rector & Decanus Gloceſtrenſis, è ſuâ Bibliothecâ libros omnes quibus Bodleiana careret, Academiæ donavit; ſcil. ſexcentos circiter, impreſſos & manu ſcriptos: reliquos Collegio Lincolnienſi legavit. *Marſchallus.*

Eadem ratione, *Thomas Barlovius* Epiſcopus Lincolnienſis, Muſæum inſtructiſſimum inter Bibliothecam Bodleianam & Collegium Reginenſe, ſupremo Teſtamento diviſit. Cujus libris recipiendis, Academia pergulas elegantes; Collegium verò ampliſſimam Bibliothecam conſtruxit. *Barlovius.*

Ipſa Academia, Anno 1693. in Orientales Codices (quos viri clariſſimi *Edvardus Poockius* & *Robertus Huntingdon* ſumptibus magnis & induſtriâ conquiſierant) libras mille trecentas impendit.

Hæc ſummatim de Bibliothecâ Bodleianâ.

Quia vero alibi reponuntur libri & Monumenta, publicis uſibus Academiæ conſecrata; ratio inſtituti poſtulat ut de illis quoque nonnihil dicamus.

Muſæum Aſhmoleanum. Anno 1679. Academici fundamenta jecerunt ædificii ſtructuræ elegantis, prope Bibliothecam Bodleianam. Hoc *Muſæum Aſhmoleanum* appellamus, quoniam Anno 1683. Elias Aſhmole, Regius Fecialis de Windſor, theſaurum inæſtimabilem *Rerum Naturalium* (ex omnibus gentibus collectum & Academiæ donatum) in illo repoſuit.

Dugdalius. Biennio poſteà, Cl. Vir. *Gulielmus Dugdale* Eques Auratus, libros multos (ſuâ manu omnes ferè ſcriptos, & ad rem Antiquariam pertinentes) Muſæo Aſhmoleano donavit.

Aſhmolius. Poſt ſeptennium, moriens ipſe *Aſhmolius*, magnam vim Librorum, Manuſcriptorum & impreſſorum, eidem Muſæo reliquit. *Wood.* Et nuper, *Antonius a Wood* (*Athenis* & *Antiquitatibus Oxonienſibus* clarus) ſuas Chartas omnes, Codices manuſcriptos, & quotquot impreſſorum in *Muſæo* deſiderabantur, ibi ſupremo Teſtamento reponi juſſit.

Dum autem enumeramus publica Studiorum ſubſidia quæ Oxonii habemus, prætermittenda non ſunt,

Marmora Arundeliana. 1. Marmora Græca & Latina, quæ *Thomas Howard* Arundeliæ Comes, ex diverſis terrarum partibus conquiſivit; & ejus nepos *Henricus* Academiæ donavit. Ea hodie murum exornant, quo cingitur Theatrum Sheldonianum. *Seldeniana.* Alia quoque Monumenta dedêre Teſtamenti *Seldeniani* Curatores: quibus aliquot addidit *D. Georgius Wheeler*, Eques auratus.

Numiſmata Antiqua. 2. Numiſmata omnium generum, in certas claſſes ita diſtributa, ut nihil eſſe poſſit Adoleſcentium ſtudiis accommodatius. Pars eorum maxima debetur *Gulielmo Laud* Archiepiſcopo Cantuarienſi; qui quinque Arculas totidem nummorum generibus implevit. In primâ poſuit Hebraicos & Græcos; in ſecundâ Familias Romanorum; in tertiâ, Imperatores Ethnicos; in quartâ, Imperatores Chriſtianos; in quintâ, nummos Britannicos, Saxonicos, &c. Quorum omnium Indicem miſit, anno Domini 1639. Et poſteà, Elias Aſhmole, Fecialis, *Catalogum Laudenſium Numiſmatum* (eorum ſcilicet qui ad res Romanas pertinerent) Bibliothecæ Bodleianæ dedit.

Supra Arcas in xyſto Bodleiano ſitas, hæc Inſcriptio collocatur:

Archiva
Nummaria Reverendiſſ.
GUL. LAUD,
Cantuarienſis Archiepiſcopi
A. D. MDCXXXVI.

Ex Albo Benefactorum intelligimus, varia Numiſmata varios homines contuliſſe, *Jacobum Hyde*, *Georgium Hicks*, *Radulphum Freman*, alióſque. Præcipuè verò nominandi ſunt, *Radulphus Freke*, qui nummos aureos & argenteos circiter quingentos dedit; ejuſque frater *Gulielmus Freke*, qui auguſtum Nummorum Repoſitorium, *auro gemmiſque coruſcum*, Academiæ donavit. In cujus beneficii memoriam, ſupra dictum Repoſitorium hæc ſcripta legimus:

Archiva
Nummaria a Radulpho &
Gulielmo Freke *de Hannington in agro Wilton* (*D. Tho.* Freke *Equitis Aurati filiis*) *Nativitate &*
in Academiam charitate
Fratribus Germanis, Condita. A. D. MDCLVII.

Protobibliothecarii.

1. *Thomas James*, A. M. Novi Collegii Socius, ab ipſo Fundatore deſignatus, poſt annos viginti munere ceſſit.

2. *Johannes Rouſe*, A. M. & Coll. Orielenſis Socius, Bibliothecarius electus eſt, Maii 9. 1620. obiit anno 1652. ineunte Aprili.

3. *Thomas Barlow*, A. M. Collegii Reginenſis Socius, electus eſt 6. die Aprilis, 1652. cui munere cedenti ſuffectus eſt

